DE GENTE PATRICIA CLAUDIORUM NONNULLA

I

PER SPATIUM LIBERÆ CIVITATIS

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT

S. A. LJUNGGREN

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCXCVIII

DE
GENTE PATRICIA CLAUDIORUM
NONNULLA

I

PER SPATIUM LIBERÆ CIVITATIS

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT ET

PERMISSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM
UPSALIENSIUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

S. A. LJUNGGREN
LIC. PHIL. NAT. HOLM.

IN AUDITORIO IV A. D. IV ID. DEC. MDCCCXCVIII

H. P. M. S.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCXCVIII

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41548913_0026

De gente patricia Claudiorum nonnulla.

A parva origine ortus populus Romanus regibus exactis in tot cladibus, victoriis dubiis, fraudibus sociorum, incursionibus barbarorum, discordiis civium sæpissime tamen fortuna usus secunda in dominationem Latii, Italiæ, orbis denique terrarum pervenit. Inter omnia, quæ veteres magna ex parte ficta de his temporibus narraverunt, haud facile a falsis ea secernas, quæ vera sint, in tanta vetustate non modo rerum, sed etiam auctorum. Nam si annales et fastos relinquimus, nihil est, quod de initio et progressu reipublicæ constet, nisi quæ in ore erant ad priscam virtutem extollendam et rationem explicandam, quam secuti legibus dandis, institutis condendis, deis rite colendis, moribus emendandis majores operam dedissent, ex quibus rebus colligitur, romanos scriptores vel antiquissimos plurima invenisse per sæcula ab antiquis perlata, quæ ut crederent vel pietate vel amore patriæ adducerentur. Si Romani pro republica dimicantes præclara facinora effecerunt, fortitudinem eorum omnes variis rebus, quæ ad gloriam eorum et patriæ amplificandam pertinerent, quam maxime exornabant, sed de victoriis hostium permulta iidem detrahebant, quo plus ad se suosque decorum clades acceptas obtegentes vindicarent, quare nihil est, quod ea credamus, quæ de rebus gestis Horatii Coclitis, Mucii Scævolæ, Cloe-

liæ, Camilli, aliorum narrent. Quis enim dubitat, quin Romanis sæpissime devictis vel auro libertatem emere coactis Porsenna, Galli, Pyrrhus, Hannibal turpitudines summas inflixerint, quarum apud scriptores mentionem ullam frustra quæreremus? Neque tamen de moribus ingeniisque hominum plus affirmare possumus quam de rebus. Flagrante enim republica discordia inter patres et plebem orta fieri non potuit, ut adversarii adversarios cum æquitate judicarent, quare jam ea, quæ cujusque ætatis homines liberis proximisque narrabant, falsa et propriis de causis exornata vel deformata erant. Quamobrem si summi viri, Junii, Julii, Fabii, Cornelii, Claudii in aliqua re deliquerint non est dubium, quin ut hostes eorum facinora in scelera ita amici scelera in merita verterint, et ideo clarorum virorum nepotes, quorum familiæ veteres et illustres erant, stemmata collocantes nihil fere, quod ab antiquis traditum esset de rebus gestis majorum, pro certo habere potuerunt. Veterum igitur memoriam libris comprehendentes nihil fere certi inveniebant, quorum in summa discrepantia nobis maxima præcavendi diligentia adhibenda est in claris viris vel vituperandis vel laudandis, nisi summi errores implicabunt. Accedit, quod non minus libera civitate vigente quam principibus imperium obtinentibus auctorum intererat ostendere clarissimos viros non dicam ab imperatoribus, consulibus, regibus, sed a diis deabusque ortos esse, neque enim harum ætatum summos homines satis juvare poterat consules prætoresque et dictatores ac censores proavos habere, sed vel a Jove optumo maximo progenitos incedere volebant. Quæ cum ita sint, conanti familiarum quarundam gentilitatem expromere difficultates occurrunt maximæ neque fieri potest, ut de his rebus fere quidquam traditum invenias, quod sine ulla dubitatione credere possis. Instituenti ergo mihi de gente patricia Claudiorum nonnulla pro virili parte referre hæc via et ratio sequenda esse videtur. Inspectis, quæ reddidere Livius, Dionysius Halicarnassensis, Polybius, Cicero, Tacitus, Suetonius, Dio Cassius, alii antiquorum, et quandoque necesse habuero, verbis eorum relatis, nostræ

ætatis scriptores, Niebuhr, Drumann, Mommsen, proferam auctores, qui summo studio in veritate de rebus populi Romani gestis investiganda versati, quamvis inter se longe dissentientes, nihil in medio reliquerunt, quod ad rem explicandam pertinere posset. Neque minus dignæ sunt horum virorum rationes, quibus utamur in memoria posterorum comprehendenda, cum libera civitate magis magisque corruente plura inveniamus, quæ contra veritatem non repugnent, quam in reddendis, quæ "poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur".

Origines.

Constat inter omnes non antiquitus Romam genti Claudiæ fuisse patriam, sed dissentiunt narrantes, quando, qua de causa, quomodo immigraverit. Quæ fama posteritati ab antiquis sæpissime tradebatur, est apud Livium, cujus verba hæc sunt: "namque Attius Clausus, cui postea Appio Claudio Romæ fuit nomen, cum pacis ipse auctor a turbatoribus belli premeretur nec par factioni esset, ab Inregillo, magna clientium comitatus manu, Romam transfugit. his civitas data agerque trans Anienem: vetus Claudia tribus additis postea novis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata. Appius inter patres lectus haud ita multo post in principum dignationem pervenit". (II, 16, 4). Iisdem fere annis scribens Dionysius Halicarnassensis tradidit[1], quæ ab opinione illius non multum abhorrent, nisi quod ab hoc nomen Clauso fuisse T. Claudio dicitur aliaque addidit, quæ eo pertinerent, ut aliquanto magis festiva fieret narratio. Quos secutus non multo post Plutarchus[2] eadem pæne exornans pulcherrime reddidit, quæ quidem contraxit Zonaras[3]. Virgilius autem rem attingens aliam famam refert:

"Ecce, Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar:
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium postquam in partem data Roma Sabinis."
(Aen. VII, vv. 707 sqq.)

---

[1] V, 40, 16. sqq.

[2] Public. 21.

[3] VII, 13.

et Claudium Cæsarem multo minus definite de gente dicen-
tem Tacitus inducit[1] majorum suorum Clausum antiquissi-
mum origine Sabina "simul in civitatem Romanam et in
familias patriciorum" adscitum esse. His ex verbis mihi
ratio exstare videtur, quæ priorum dictis repugnare possit
et a qua animum alienum non habet Suetonius narrans[2]
patriciam gentem Claudiam ortam ex Regillo Romam re-
cens conditam commigrasse auctore Tito Tatio consorte
Romuli vel Atta Claudio gentis principe et post reges ex-
actos sexto fere anno a Patribus in patricios cooptatam
agrum locumque ad sepulturam publice accepisse. Neque
enim necesse est ex verbis Taciti colligere Clausum illum
non ante reges exactos in familias patriciorum adscitum
esse, et Suetonius aperte scribit gentem Romam nuper con-
ditam immigrasse. Verisimile igitur est Livium et Diony-
sium, Plutarchumque Clausum antiquissimum majorum im-
peratoris Claudii, ut ipse ait apud Tacitum, non satis di-
stinxisse ab A. Claudio consule anni a. u. c. ducentesimi
undesexagesimi. Quæ a narratione horum maxime abhor- 495
reant, Mommseno auctore jam ostendere conabor. Pagos,
qui Romæ antiquissimis temporibus instituebantur, cum qua-
dam descriptione soli ipsius convenisse et in eos collatos
esse omnes, qui in eadem regione agrum possiderent, pro
certo auctores sumere volunt. Vicos autem illius generis
jam antiquitus (verbi gratia a Servio Tullio) factos esse
cum alii narrant tum Dionysius[3]. Credibile vero esse vide-
tur veteres tribus rusticas quodammodo his ex pagis ortas[4]

---

[1] Ann. XI, 24.

[2] Tib. 1.

[3] IV, 15: Διεῖλε δὲ καὶ τὴν χώραν ἅπασαν, ὡς μὲν Φάβιός φησιν εἰς μοίρας ἓξ τε καὶ εἴκοσιν, ἃς καὶ αὐτὰς καλεῖ φυλάς, καὶ τὰς ἀστικὰς προστιθεὶς αὐταῖς τέτταρας τριάκοντα φυλὰς ἀμφοτέρων ἐπὶ Τυλλίου γενέσθαι λέγει.

[4] Regiones veteres inde a temporibus Servii Tullii una cum multitudine sensim crevisse, nec tamen certis finibus terminatas, pagos, ut ita dicam, formasse quosdam, ubi habitarent patroni, plebs, clientes, verisimile est. Deinde descriptæ sunt tribus proprie dictæ sedecim, quibus indita sunt nomina veterum gentium. Quando hoc factum sit, non

nomina prisca servasse, quæ hæc erant: Aemilia, Camilia, *Claudia,* Cornelia, Fabia, Galeria, Horatia, Lemonia, Menenia, Papiria, Pollia, Pupinia, Romulia, (v. Romilia) Sergia, Voltinia, Voturia (postea Veturia). Ergo haud scio an fieri non potuerit, ut Claudia regio, ex qua tribus una nominata est, liberæ civitatis tempore descripta esset, et credere possumus eam regibus Romæ regnantibus una cum ceteris institutam esse. Cui rei Mommsen quoque assentitur, cum sibi persuasum esse dicit [1], ut opinatos esse Claudios, gentem suam olim Romam commigrasse, ita nullum annum tradidisse eos, quo hoc factum esset, et demonstrat, nullam familiam per totum tempus liberæ reipublicæ, inter patricias cooptari potuisse [2]. Quoniam igitur primum regio quædam Claudia, priusquam reges expellerentur, instituta esse videtur, tum neque ostendi ullam gentem inde ab anno du-
509- centesimo quadragesimo quinto usque ad annum septingen-
-45 tesimum nonum a. u. c. inter patricias adscitam esse potest neque declarari, a quibus, quomodo, qua lege et jure tale quidquam suscipi potuerit — nam nihil invenio, quod rationem comprobet, quam proponit Niebuhr, cum dicit, Claudios Tarquinia gente et tribu quasi expulsis numerum explevisse — ad veritatem de illa immigratione proxime ac-

---

satis comperimus, credibile autem est Livium errasse, cum numerum earum ad summam viginti unius expletum esse anno a. u. c. ducente-
495 simo undesexagesimo traderet in capite libri secundi primo et vicesimo et epitoma ejusdem libri.

Cfr Mommsen, Römische Geschichte I, pp. 35, 278; Römisches Staatsrecht III, pp. 168, 169, 170, 171, 153; Römische Forschungen pp. 106, 154, 188 n. 18.

Willems, Le droit public romain, p. 54, n. 4.

Lange, Römische Alterthümer I[3] pp. 510 sq. ubi mihi quidem auctor parum respexisse videtur rationem alteram immigrationis Claudiorum verbis nixam Virgilii, Taciti, Suetonii.

[1] R. Stsr. III, p. 26 not. 1; 167 n. 1; R. F. I pp. 72, 293. Cfr. Willems, Le droit public romain, p. 25 n. 8, Le sénat de la république romaine I p. 11.

[2] Mommsen R. F. I p. 72, Willems, Le sén. d. l. rép. rom. I pp. 14 sq. Cfr. Lange, R. A. I. pp. 219, 267, 410 sqq.

cedere hæc opinor. Clausus, quem facit Virgilius catervas
suas in Aenean proripientem, heros talis erat, qualis Iulus
ille Juliorum abavus, sed de tempore, quo ille Romæ civi-
tatem cum gente sua assecutus est, nihil affirmare possu-
mus, nisi quod Romam ante perveniebat, quam reges exacti
essent. Cur Livius et Dionysius Plutarchusque [1] vel potius
auctor eorum communis — nam nisi respicimus nomen Τί-
τος Κλαύδιος apud Dionysium aliaque, quæ minoris momenti
sint, eadem fere narrant — hæc narrationi bellorum Pu-
blicolæ inseruerint, dijudicari non potest. Ap. Claudium
autem consulem anni a. u. c. ducentesimi undesexagesimi 495
jam tum vetere fuisse nobilitate Romana non minus ex fa-
stigio magistratus hujus apparet, quam ex illa re, quod
testimonio inscriptionum facile adduci possumus, ut creda-
mus, patri quoque ejus, qui Marcus solum in iis nominetur,
nomen Claudio fuisse. Huc accedit, quod multa sunt, quæ
eo spectent, ut Claudii inter patres fuerint, quos L. Tar-
quinius "antiquos majorum gentium appellavit" [2], nam, si
Mommsenio [3] credimus, princeps senatus semper ex his lec-
tus est; scimus vero Ap. Claudium consulam a. u. c. anni
sexcentesimi undecimi hoc honore functum esse. Licet hæc, 143
cum parum sit, quod de discrimine inter majores gentes et
minores servato cognoverimus, minoris momenti sint, com-
mittere tamen non possumus, ut omittemus ea ad cetera
addere, quæ ostendere videantur fieri posse, ut gens multo
ante, quam reges expellerentur, Romam immigraverit et in-
ter eas fuerit, quas L. Tarquinius "majores" nominaret.

Veterrimum gentis cognomen in fastis capitolinis in-
venio, ubi consul in annum a. u. c. trecentesimum tertium 451
designatus Ap. Claudius Ap. F. M. N. Sabinus Crassinri-
gillensis nominatur, quod solvendum esse "Crassum Inrigil-
lensem" novis scriptoribus persuasum est, etsi urbis Inri-

---

[1] "Der spätere falsche Pragmatismus" Mommsen R. F. I p. 72. Cfr. tamen Ibid. p. 188 not. 18.

[2] Cic. De rep. II, 20, 35.

[3] R. F. pp. 92, 258, 259.

gilli aut Inregilli nusquam mentio fit, nisi apud Livium loco quodam variæ lectionis, de quo Weissenborn disserit II, 16, 4 cognomen referens VIII, 15, 2 [1]. Horum autem Claudiorum, quos Sabinos appellabant, alterum cognomen Crassum nullo loco indiderunt illi viro, ex quo in rerum monumentis primum claruit gens, nam apud omnes solum nominatur

1. Appius Claudius Sabinus [2].

De illo nihil certi scimus, priusquam consul esset anno
495 a. u. c. ducentesimo undesexagesimo, qua de re mentionem faciunt Livius (II, 21) et Dionysius (VI, 23). Quorum uterque Appium describit summo ardore partes patrum complexum et plebi semper adversantem, ut jam consul in comprimendis seditionibus ob æs alienum inter patres et plebem ortis vi et imperio uti voluerit et "vehementis ingenii vir imperio consulari rem agendam" censuerit. "Uno aut

[1] Qua de re cum doctis viris dissensio sit, huc in unum locum conferre volo ea, quibus sententia mea nixa esse videtur. In fastis hæc reperio:

A. 303 a. u. c. Ap. Claudius Ap. F. M. N. Crassinrigill. Sabin. II.
" " Ap. Claudius Ap. F. M. N. Crassinrigill. Sabin.
" 304 Ap. Claudius Ap. F. M. N. Crassinrigill. Sabin.

quæ omnia etsi quibusdam locis deleta tamen alia aliis confirmantur.

A. 392 a. u. c. Ap. Claudius P. F. Ap. N. *Crassus Inregillensis* Dict.

quare etiam

A. 294 a. u. c. c. claudius ap. f. m. n. inrigill sabinus

nunc legitur C. I. L. I p. 426.

Quæ si cum Livii verbis conferentur, inveniemus apud eum cognomen Inregillensis optimorum lectione librorum contestatum VIII, 15, 5, et cum in fastis Appius dictator anni trecentesimi nonagesimi secundi appellatus sit Crassus (ita solum apud Livium quoque VII, 24, 11; alius Appius IV, 35) Inregillensis, fieri non posse videtur, ut illud decemviri cognomen crassinrigill. solvatur Crassinus Regillensis vel Regillanus. Cfr. Weissenb. ad Liv. VIII, 15, 5 Momms. C. I. L. I p. 444 not. Index p. 624 passim. Willems, Le sén. d. l. rép. rom. I p. 12 n. 2, Le. dr. p. rom. p. 25.

[2] Nomina Claudiorum reddens quæ in fastis sunt inde exscripsi, alia autem ita retuli, ut habent ea scriptores.

altero arrepto quieturos alios [1]. Dionysius, ut illi rem quam-
libet pulcherrime exornandi et multa affingendi mos est, in
Appio summam eloquentiam fuisse ostendit, quam ut sæ- 256
pissime ita jam adhibens Q. Cloelio et T. Larcio coss. ora- 498
tione longissima et dulciter fluente atque elucubrata lima-
taque subtiliter docens fore ut in summa pericula adduca-
tur civitas, si coacti sint creditores quid debitoribus lar-
giri [2], omnibus rebus hic resistit, quas postulare plebs pos-
sit, et eadem via tunc progrediens impedire conatur, quo-
minus plebi indulgeatur [3]. Postquam cum Volscis et Sabi-
nis Auruncisque, qui interea omnes arma intulerunt Roma-
nis, debellatum est, adhuc quæritur de condicionibus nexo-
rum levandis neque minus ferociter obstat Appius [4]. Quum
magistratu abisset, adhortatus est, ut dictator, quo facilius
plebs redigi posset sub imperium, crearetur, neque longum
abfuit, quin hunc honorem ipse adipisceretur [5]. Per tem-
pus, quo plebs in Sacrum Montem secessit, nullo loco a Livio
nominatur Appius, sed apud Dionysius [6] summa eloquentia
contendens dissuadet, ne cum plebe conveniat et hac re
plurimis verbis explicata concludit maxime bella gerentium
interesse bonos habere duces, quorum si indigeant summæ
copiæ, nihil eas proficere posse, quippe quas ipsi sæpenu-
mero sibi comparent imperatores excellentes; iis autem Ro-
mam abundare nec futurum esse, ut ibi numquam desit
exercitus, quare censere se nullo modo cum patriæ prodi-
toribus esse agendum, priusquam officio satisfecerint, neque
talia dicens ulla re flecti potest. Quæ Livius in parte ca-
pitis libri secundi tricesimi quarti priore gesta esse T. Ge-
ganio, P. Minucio coss. narrat, Dionysius multo magis late 262
perscribit et Appium quoque dicit [7] seditione quadam inopia 492

---

[1] Liv. II, 23.
[2] Dionys. V, 66—68.
[3] „ VI, 24.
[4] Liv. II, 27.
[5] Ibid.
[6] VI, 59—64, 68, 88.
[7] Dionys. VII, 15.

frumenti ejus anni orta auctorem fuisse patribus nullius rei plebi concedendæ, neque minus acriter et copiose pro Coriolano cum tribunis plebei disceptante disseruisse [1]. In agendo postremum eum Dionysius inducit Sp. Cassio legi-
271—280 que hujus agrariæ oppugnantem, apud Livium [2] autem traditur rebus gestis prioris anni admonitus M. Fabio Cn. Manlio coss. demonstrator fuisse rationis tribuniciæ potestatis dissolvendæ auxilio tribunorum contra collegas utendo, sed tunc e rerum monumentis abit, neque scire possumus, quando diem obierit.

Nobis, ut supra dixi, summa cautione accipienda sunt ea, quæ ab antiquis scriptoribus edita ad claros viros vel vituperandos vel laudandos spectent, quare si judicia refero, quæ de illo Appio habent Livius et Dionysius, prædicere voluerim, mihi nullo modo persuasum esse talem fuisse eum moribus et ingenio, qualem depingunt illi. Ex rebus, quas jam tradidi de eo relatas, facillime exstat Appium semper in plebem hostiles spiritus gessisse, omnia ad patrum commoda retulisse, quam ob rem apud Livium his "mire gratus" solus hercule oppressurus fuisse seditiones fertur [3], sed illi adeo invisus est, ut dicat scriptor Appium brevi non majore invidia quam Servilium arsisse, quem antea quam maxime popularem fuisse scimus. Apud Dionysium quoque describitur inter patres plebi infestissimus fuisse [4], corripitur a Sicinio duce illo plebis [5], laudatur a Coriolano in senatu loquente [6], Volscos ad bellum contra Romanos excitante [7], metuit eum plebs [8], exponit scriptor suum ipsius judicium acerrimum [9], neque minus severe eum pro Coriolano anni-

---

[1] Dionys. VII. 48—53. VIII, 73, 74.
[2] II, 44.
[3] „ 28, 4, 5; 27.
[4] VI, 24.
[5] „ 78.
[6] VII, 22: Ἄππιος ὁ βέλτιστος.
[7] VIII, 5: Ἄππιος, ἀνὴρ πολλῶν ἄξιος ἕνεκ' ἐπαινεῖσθαι.
[8] VI, 29.
[9] VII, 47: Ἄππιος μὲν οὖν Κλαύδιος, ὑπὲρ οὗ καὶ πρότερον ἔφην,

tentem judicat Plutarchus[1]. Cum crudelitatem tum invidiam Dionysius exprobat in Appio[2], in quo tamen summam constantiam animosque viriles semper fuisse cum ex omnibus scriptorum locis intelligi potest tum e Livii capite vicesimo septimo libri secundi, ubi tradit Claudium nec minis, nec clamoribus, nec provocationi consulem cessurum fuisse, nisi a principibus ei persuasum esset ne contra leges faceret, quibuscum rebus aliisque non consentiunt ea, quæ fingit Dionysius[3] narrans Appium timore plebis ex comitio fugisse. Vitæ parsimonia honesta summaque morum integritate fuisse Claudium et dicit auctor ipse[4] et inducit[5] eum Valerium adhortantem, ut eorum, qui sua ipsius culpa vel duritate ob æs alienum in vinculis sint, nomina edat, et testantem unumquemque, qui sibi pecuniam debeat, amico et clementi creditore se usum tunc liberum esse, neque est quisquam, qui contra possit quid proferre.

Reliquit Appius duo filios, quorum uterque ad summas dignitates pervenit, etsi incertum est, nonne has sæpius tenuerit alter, qua de re auctores minime consentiunt, alii alterum, cui nomen erat Appio, eundem ac decemvirum facientes, alii hunc ab illo distinguentes. Exstat igitur quæstio difficillima ad dijudicandum, quæ, antequam progrediar, mihi proponenda et, si potero, solvenda est. Nam apud Livium[6] invenimus Ap. Claudium consulem anni a. u. c. ducentesimi octogesimi tertii, cui diem dixerant tribuni, 471
ante judicium mortuum esse, quod etiam narrat Diony-

ὅτι μισοδημότατος ἦν τῶν πατρικίων καὶ οὐδέποτε ταῖς πρὸς τὸ δημοτικὸν ἠρέσκετο διαλλαγαῖς.

VIII, 81: Ἄππιον πικρὸν ὄντα καὶ χαλεπόν.

X, 30: Γάϊος Κλαύδιος, υἱὸς Ἀππίου Κλαυδίου, τοῦ παρὰ πάντα τὸν χρόνον τοῖς εἰσηγήμασι τῶν δημοτικῶν, εἴ τινα μὴ νόμιμα ἦν, ἐναντιωθέντος.

[1] Coriol. 19.

[2] VI, 30.

[3] „ 26.

[4] „ 59.

[5] ibid.

[6] II, 61.

sius[1], addens Appium mortem sibi ipsum conscivisse. Con-
460 stat autem C. Claudium consulem anni a. u. c. ducentesimi
nonagesimi quarti filium fuisse illius, quem ferunt Livius et
Dionysius primum inter Claudios cum tota gente Romam
immigrasse, quare ex iis, quæ tradiderunt illi, patruus de-
cemviri erat. Hujus etiam nominatur a Livio "patruus"[2] a
Dionysio θεῖος[3]. C. Claudius igitur in fastis capitolinis de-
signatur:

c. claudius ap. f. m. n. inrigillensis sabinus

multo vero magis definite ibidem ter ita inscribitur decemvir:

Ap. Claudius Ap. F. M. N. Crassinrigill. Sabin.

451 cum enim consul anni trecentesimi tertii a. u. c. et bis se-
quentibus annis decemvir fuerit. Cum autem "II" consul
tunc factus esse dicatur, neque quisquam, cui Appio esset
nomen, e Claudiis post Sabinum illum priscum[4], hunc ho-
471 norem adeptus sit, nisi consul anni a. u. c. ducentesimi octo-
gesimi tertii, his ex rebus facillime apparet auctorem fasto-
rum illorum hos Claudios existimasse fratres et ambo filios
495 fuisse consulis anni ducentesimi undesexagesimi a. u. c. (1).
Ad hanc difficultatem tollendam a quibusdam propositum
est, ut hujus prænomen commutaremus in Marcum, quod,
etiamsi quid proficeret, repugnat tamen maxime iis rebus,
quæ de illo retulerunt omnes antiquorum temporum scrip-
tores, ("tutta l'antichita") ut ait Borghesius[5], quem nostræ
ætatis auctorem sequar in testimoniis reddendis, ex quibus
471 exstare videtur consulem anni ducentesimi octogesimi tertii
eundem qui decemvirum fuisse. Hac in re ergo auctores sine
dubio dissentiunt, sin autem narrationem Livii inspexerimus,
cognoscemus illum ipsum non satis distinxisse famas secum
pugnantes, quas reperiret. Jam enim in capite libri tertii

[1] IX, 54.

[2] III, 35 & 40.

[3] XI, 49.

[4] Nam alium ac hunc fuisse nostrum ex omni narratione facillime apparet.

[5] Oeuvres complètes de Bartolomeo Borghesi; Nouveaux fragments des fastes consulaires (= IX, 1) p. 67 sqq.

tricesimo tertio de decemviro scribens hæc verba facit, cum illum nullo antea loco nominaverit: "regimen totius magistratus penes Appium erat favore plebis; adeoque *novum* sibi *ingenium induerat,* ut plebicola repente omnisque auræ popularis captator evaderet *pro truci sævoque insectatore plebis*", quæ mirifice consentiunt cum narratione ipsius de Appio, quem patrem hujus fuisse refert, et in capite ejusdem libri tricesimo quinto iram et ambitionem depingit Appii tum, cum "demissa jam in discrimen dignitas *ea ætate iisque honoribus actis* stimulabat" illum. Si huic loco contulerimus caput decimi libri tertium, ubi de Q. Fabio auctoris verba fere eadem sunt: "ea ætate iisque honoribus", inveniemus his designari virum jam ætate provectum summisque honoribus perfunctum, quæ tamen de Appio nullo modo dici potuerunt, si fuisset juvenis nec ulla antea dignitate præditus. Hanc tamen ad quæstionem expediendam maximi momenti est Livii libri quarti caput duodequinquagesimum, ubi verba ejus hæc sunt: "nec tribuni militum nunc in senatu nunc in conciliis privatis cogendis viam consilii inveniebant, cum *Ap. Claudius, nepos ejus, qui decemvir legibus scribendis fuerat,* minimus natu ex patrum concilio, dicitur dixisse vetus se ac familiare consilium domo adferre; *proavum* enim *suum Ap. Claudium* ostendisse patribus viam unam dissolvendæ tribuniciæ potestatis per collegarum intercessionem"[1]. His ex dictis elucet Livium hoc loco putare decemvirum filium gentis principis fuisse, quare Appius, qui loquitur, hujus abnepos est, qua ex re colligitur C. Claudium fratrem neque patruum decemviri fuisse. Fuere, qui conarentur hanc discrepantiam solvere, cum "filius" nec "nepos legeretur, neque haberet suam sed alienam significationem "proavus" quendam majorum tantum, non patrem avi demonstrans, sed hæc, ut sunt audacia, ne tollunt quidem difficultatem. Nam e Livio ipso[2] scimus filium decemviri tri-
bunum militum c. p. anno a. u. c. trecentesimo tricesimo et 424
tunc "*impigrum juvenem*" fuisse, quocirca fieri non potest

[1] Vide hujus opusculi p. 10.

[2] IV, 35, cfr 36.

ut octo post annos, cum in senatu hanc orationem habuit, "minimus natu e patrum concilio", "juvenis" appellatus sit[1]. Ostendere quidem vult Drachenborch "patrum concilio" hoc loco significari non senatum, sed concilia ea privata principum, quæ Livius in eodem capite habita esse dicat, quæque e senioribus constiterint, sed refutatur ille ab ipso scriptore, quippe qui de concilio narrans, in quo orationem habuit Appius, post eam laudationemque ejus Servilii progrediatur cum verbis "*misso senatu*". Cum igitur hujus rei auctores diversi Livio fuisse videantur, quorum verba non satis expendere sciret, illi hac de re credere non possumus, quamobrem Dionysius nobis restat auctor fastis anteponendus. Quoniam tamen hi aliis in rebus certi et fidi videntur, ille loquacitate rhetorica in falsa et errores quandoque inductus, mihi quidem persuasi Ap. Claudium decemvirum fratrem
495 C. Claudii et filium consulis anni a. u. c. ducentesimi undesexagesimi fuisse[2] cujus rei auctores etiam Niebuhr, Schwegler, Mommsen proferre possumus. Jam dubitat primus inter illos Niebuhr[3] an decemvir C. Claudii fuerit frater nec tali a sententia animum alienum habere videtur, sed de re multo magis fidenter se exprimit Schwegler[4]. Ut Mommsen hæc in Historia sua Romana silentio transit, ita se in opusculo, quod "Römische Forschungen[5]" inscribitur, definite applicat
283 — 471 ad eos, qui decemvirum consulem anni a. u. c. fuisse credant illius, et sunt verba ejus hæc fere: "Quæ de Ap. Claudio *consule anni* a. u. c. *ducentesimi octogesimi tertii, decemviri trecentesimi tertii* multo magis corrupta et deformata quam alia ab illorum temporum scriptoribus tradita annales narrant nobis reliqui, nullo modo digna sunt, quibus de rerum mo-

[1] Liv. IV, 48.

[2] Cui sententiæ etiam assentiuntur Willems (Le sén. de la rép. rom. I p. 76 ne verbo quidem addito) et Ihne (Römische Geschichte I
471 p. 166). Lange autem existimat consulem anni ducentesimi octogesimi tertii tunc post magistratum mortuum esse (R. A. II p. 574).

[3] Römische Geschichte, II, 377, 754.

[4] Römische Geschichte, II pp. 568 sqq. ubi alios etiam refert, qui eandem sententiam complectantur.

[5] I p. 295.

numentis omnino credamus. Auctoribus virum, qui *vicesimo*
post anno decemvir erat, anno a. u. c. *ducentesimo octoge-* 470
simo quarto mortuum dicentibus fidem nemo habere potest
cum causam et orationes ejus in foro senatuque habitas
reddunt". Ob has causas igitur equidem existimare voluerim
utrumque horum Claudiorum, de quibus jam disserui, Ap.
Sabino (1) natum esse, quod etiam optime consentit non
minus cum ætate eorum quam narratione rerum gestarum.
Nam si Appius anno, quo consules, ut tradit Dionysius[1],
facti sunt C. Julius et Q. Fabius, qui annus a. u. c. ducen- 482
tesimus septuagesimus secundus fuit, ἐκ τῶν νεωτέρων erat,
nihil est, quod obstet, quominus anno a. u. c. trecentesimo 451
tertio corpore viguerit, cum ætatis suæ duodecimum lustrum
nullo modo transiisset, et fieri posset, ut non plus quinque
et quinquaginta annos natus esset; neque his rebus repugnat,
quod Virginiæ libidine inflammatus eam abducere et violare
conatus esse traditur[2], quoniam e rerum monumentis satis
cognovimus ejusmodi facinora commissa esse a viris, qui illo
multo magis ætate provecti essent.

Res gestæ filiorum Appii Sabini ita a me tractabuntur, ut ea prius narraverim, quæ pro se uterque ageret, antequam in rebus versati iisdem decemviratus temporibus aliquando certarent, et quem priorem describere conabor erit

2. Ap. Claudius Ap. F. M. N. Crassus Inrigillensis Sabinus.

Hæc illi cognomina fuisse, quamquam sunt, qui putent, eum Crassinum Regill. appellatum esse, de qua re supra dixi[3] facillime apparet fastos inspicienti.

[1] VIII, 90: Ἐκεῖνοι (sc. οἱ πατρίκιοι) μὲν γὰρ ἐκ τῶν νεωτέρων ἐβούλοντο τοὺς δραστηρίους τε παὶ ἥκιστα δημοτικοὺς ἐπὶ τὴν ὑπατείαν προαγαγεῖν· καὶ μεθήει τὴν ἀρχὴν κελευσθεὶς ὑπ' αὐτῶν ὁ υἱὸς Ἀππίου Κλαυδίου. Appium autem eis verbis designari ex his ejusdem capitis colligi potest: μισῶν (sc. ὁ δῆμος) τὸν Ἄππιον καί, ὅτι ἐκεῖνος ἀτιμασθῆναι ἐδόκει, σφόδρα ἡδόμενος.

[2] Qua in re narranda ut dubitare possumus an ad veritatem non locuti sint auctores, ita, quia nisi hæc vera sunt, nihil scimus de fine vitæ Appii, contendere non audemus, ea, quæ tradiderunt, plane ementita et plena erroris solius esse.

[3] Hujus op. p. 8 n. 1.

482 Appius cum anno a. u. c. ducentesimo septuagesimo
secundo repulsam a plebe accepisset[1] consul anni a. u. c.
471 ducentesimi octogesimi tertii factus est summo inter patres
et tribunos pl. orto certamine rogationis a Volerone Publilio
latæ "ut plebei magistratus tributis comitiis fierent"[2], ac
Lætorio, qui legis suasor quam vehementissimus esset, re-
sistens in pertinacia perstans, nisi impetus animorum a col-
lega ejus Quinctio sedati essent, pæne concitavit rixam,
quam describit Dionysius[3], cujus ex dictis elucet eum exi-
stimasse re vera seditionem, rixam, certamen erupisse. Tri-
bunum cavillans, ferox, violens, obdurescens legi obstabat
Appius et apud plebem tanto in odio erat, ut cum contra
Volscos moventes arma mitteretur, dicto ei audientes non
essent milites, sed quominus obedirent, summa ferocia recu-
santes[4] in pugna signa et ordines desererent, id facientes,
ut ait Dionysius[5], ne imperator ille invisus egregiis rebus
gestis quibusdam triumpharet aliosve honores adipisceretur.
Flecti tamen non potuit et hostes relinquens cum in pacatum
agrum pervenisset, castris positis imperium negligentes mi-
lites acerrime increpuit et summa severitate poenas gravis-
284 simas contumaciæ expetivit[6]. Sequenti anno L. Valerio
470 T. Aemilio coss. Claudius summa vi legi agrariæ adversatus
a tribunis plebei factus est reus contentione orta inter patres
eum defensuros et multitudinem ardore maximo damnatum
cupientem[7]. Quomodo hoc judicium reo evenerit, dijudicare
non possumus, constare tamen videtur Appium post hoc non,
ut ajunt Livius et Dionysius, mortuum esse, sed per viginti
fere annos re publica abstinuisse, dum consul iterum creatus
est. Vidimus illum ab auctoribus depictum esse plebi in-
festissimum et maxime invisum, quare de eo acerba faciunt

[1] Dion. VIII, 90.
[2] Liv. II, 56.
[3] IX, 48.
[4] Liv. II, 58.
[5] IX, 50.
[6] Liv. II, 59.
[7] Liv. II, 61, 2—5.

judicia, neque minus eum refert Livius[1] quam Dionysius[2] summum odium et sua ipsius et patris causa suscepisse plebis, quam corripienti et irridenti[3] exprobrat Lætorius[4]. Eadem fere Græcus scriptor habet ac Romanus de bellis contra Volscos et Aequos his temporibus gestis et de constantia animi, quæ in Appio erat utrique convenit, sed non minores ejus superbiam et arrogantiam commemorant, quas declaravit cum semper tum in judicio, quod ambo describunt[5]. Res gestas Ap. Claudii breviter narratas quoque invenio apud Zonaram[6], qui tamen nihil novi proferens, nisi quod tribuni diem dixerunt Appio severitatis eum accusantes, qua adhibita exercitum punierat, Livium et Dionysium sequitur.

Per annos sequentes apud auctores neminem gentis Claudiæ virorum nominatum reperio, priusquam patres et plebs in re dijudicanda versati sunt, quæ ad hujus gratia formam rei publicæ commutandam juraque illorum imminuenda maxime pertineret, et de qua, antequam progrediar, pauca mihi liceat præfari. Jam enim ad tempora perveni

Decemviratus

et quanti civitatis plebisque interfuerit, ut hic magistratus institueretur, cum ex aliis rebus tum ex verbis Dionysii intelligi potest, quibus[7] tradit tunc neque leges litteris commendatas esse et omnes causas delatas ad consules, qui inter principes lecti in judicando agerent ex more præscriptisque aliquot, quæ per libros sacros seposita et recondita a plebe prorsus ignorarentur. De origine hujus reipublicæ conversionis non consentiunt narrantes, nam apud Livium, dum 292
res L. Lucretio Tricipitino T. Veturio[8] Gemino coss. gestas 462

[1] II, 56; 58, 4—7; 59.
[2] VIII, 90; IX, 42.
[3] Dion. IX, 44.
[4] Dion. IX, 47.
[5] Liv. II, 61; Dion. IX, 54.
[6] VII, 17.
[7] X, 1.
[8] vel Vetusio.

describit, reperio[1] C. Terentilium Harsam tribunum plebei in patres vehementer invectum rogationem laturum se professum esse, "ut quinque viri" crearentur "legibus de imperio consulari scribendis" et jure vincerentur magistratus a populo tributo, Terentilii autem rogationisque mentionem solum facit Dionysius[2] et certaminibus statim ortis dicit jam tum auctores fuisse, ut decemviri crearentur. Hac in re dignior esse, cui credatur, Livius videtur, nam e tota ejus narratione exstat, discordiam inter patres et plebem rogatione terentilia concitatam esse, cui sententiæ Schwegler[3], Mommsen[4], Ihne[5], Lange[6], Willems[7] assentiuntur. Flagrante tunc Roma invidia plebis ac tribunorum in patres et consules lex promulgata seditiones, rixas, altercationes excitans reprimi tamen non poterat, sed per jurgia Q. Fabii[8], per accusationem et exsilium Cæs. Quinctii[9], per alia multa, tribunis dilectum prohibentibus, impedientibus legem patribus, pertinaciter su-
460 stentata est. Consules anno a. u. c. ducentesimo nonagesimo quarto facti sunt P. Valerius Publicola et

3. C. Claudius Ap. F. M. N. Inrigillensis Sabinus

inter spem metumque legis quam maxime suspensa republica[10]. Rumoribus de proditione patrum et reditu Cæsonis aliisque rebus pervagatis Claudius apud Dionysium[11] contra A. Virginium tribunum plebei a patribus petentem inquisitionem locutus, postquam Ap. Herdonius Capitolium occupavit, collega plebem adhortante senatum retinuit et Valerio in arce

[1] III, 9.
[2] ibid.
[3] R. G. I, p. 573 sq.
[4] R. G. I, p. 280; R. Stsr. II, p. 702.
[5] R. G. I, p. 157.
[6] R. A. I, p. 617.
[7] Le dr. p. rom, p. 266.
[8] Liv. ibid.
[9] Liv. III, 11 sqq. Dion. X, 5 sqq.
[10] Liv. III, 15.
[11] X, 12, 13.

oppugnanda occiso negavit se, cum Publicola fidem concilii plebis non impediendi dedisset, nisi collega sibi subrogato "passurum agi de lege"[1]. Qua in re Dionysius[2] Claudium inducit non modo plura sed etiam hæc constantius agentem; tribunis, se plebemque, nisi patres polliciti essent fore ut legumlatores crearentur, non dimicaturos esse dicentibus obstitit, muros custodiebat, post Capitolium recuperatum variis rationibus tergiversabatur. A L. Quinctio Cincinnato collega subrogato Claudius obscuratus in re publica administranda non est versatus, neque post consulatum nominatur
a scriptoribus, priusquam C.[3] Horatio, Q. Minucio coss. 297/457
contra rogationem decem tribunos pro quinque creandi[4],
M. Valerio et Sp. Virginio coss. contra Icilium legemque 298/456
ejus de Aventino publicando loquitur[5]. Lex Terentilia interea per varia certamina nullo modo a tribunis omissa
anno a. u. c. trecentesimo si non abjecta, at ea forma pro- 454
mulgata est, ut patres paterentur legumlatores fieri et Athenas mitti legatos, qui in Græcia ad hoc munus pertinentia omnia cognoscerent. Postquam hi reverterunt, placuit decemviros summo imperio præditos creari, a quibus ad populum provocare non liceret, salvis tamen lege Icilia aliisque nonnullis sacratis[6]. Quod scribit Livius[7] hæc "anno
trecentesimo altero, quam condita Roma erat" incidisse, 452
cum ex fastis cognoverimus decemviros legibus scribundis
anno trecentesimo tertio creatos esse, hujus rei causas in 451
medio relinquo. Consules anni *Ap. Claudius*, T. Genucius, quos ex fastis scimus magistratum iniisse, quamvis a Livio, inducente[8] tamen Appium commemorantem se consulatu

[1] Liv. III, 19.

[2] X, 15.

[3] Ita a Dionysio et in fastis, apud Livium et Diodorum Marcus nominatur.

[4] Dion. X, 30.

[5] Dion. X, 32.

[6] Liv. III, 31 sq. Dion. X, 51 sq. 54.

[7] Liv. III, 33.

[8] III, 56.

abisse "designati"[1], a Dionysio, qui eos dicit nondum honorem suscepisse[2], ἀποδειχθέντες appellarentur, decemviri facti sunt et iis collegæ dati P. Sestius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, P. Sulpicius, P. Curiatius, T. Romilius, Sp. Postumius[3]. Quæ his temporibus Romæ gesta sint, omnes sciunt, neque mihi necesse est alia depromere nisi ad mores et ingenium Appii pertinentia. Quem autem auctorem decemviros eligendi hac in re tribunos plebei adjuvisse Dionysius narrat[4], et illum collegii legumlatorum principem fuisse apparet non minus ex verbis hujus[5] quam Livii[6] et Zonaræ, illum Genuciumque vel jure capita collegii totius fuisse arbitrantis[7]. Neque tamen dubium est, quin leges XII tabularum ab illo collegisque ejus latæ summi fuerint momenti, quare maximis laudibus tolluntur a Livio[8], Dionysio[9], Cicerone[10]. His in legibus dandis Græcas spectasse decemviros non magis e verbis hujus[11] elucet quam Gai, quæ reddit Schwegler[12]. Constare quoque videtur Hermo-

[1] III, 33.

[2] X, 54.

[3] Liv. III, 33. Dion. X, 56, ubi nomina hæc sunt: Ἄππιος Κλαύδιος, Τίτος Γενύκιος, Πόπλιος Σήστιος, Σπόριος Ποστόμιος, Σερούϊος Σόλπικιος, Αὖλος Μάλλιος, Τίτος Ῥωμίλιος, Γάϊος Ἰούλιος, Τίτος Οὐετούριος, Πόπλιος Ὁράτιος, quorum fastis confirmantur: Ap. Claudius, T. Genucius L. f. L. n. Augurinus, Sp. Veturius Sp. f. P. n. Crassus Cicurinus, C. Julius C. f. L. n. Iulus, A. Manlius Cn. f. p. n. Vulso. Ibi hæc suppleta sunt: ser. sulpicius ser. f. Ser. n. Camerinus cornut, p. sestius q. f. vibi. n. capitol. vaticanus, sp. curiatius f. n. fistus trigem, t. romilius t. f. t. n. rocus vaticanus, sp. postumius a. f. a. n. albus regillens. (C. I. L. I p. 426.)

[4] X, 55.

[5] X, 61: ἡγούμενος τῆς δεκαδαρχίας, XI, 4: ὁ τῆς δεκαδαρχίας ἡγεμών, 23: ὁ προεστηκὼς τῆς ὀλιγαρχίας.

[6] III, 33: "regimen totius magistratus penes Appium erat favore plebis", 41: "principes inter decemviros erant Q. Fabius et Ap. Claudius".

[7] VIII, 18.

[8] III, 34.

[9] XI, 44.

[10] De leg. II, 23; De or. I, 44. 195, 43, 193.

[11] De leg. II, 25, 64.

[12] R. G. III, 19 n. 1.

dorum quendam in opere legumlatoribus adfuisse, nam Plinius statuam tradit[1] ejus "legum, quas decemviri scribebant, interpretis" in comitio positam esse, et Strabo dicit[2] eum sibi videri Romanos adjuvisse viros[3]. Neque autem credendum Græcas leges solum imitatos esse decemviros, nam duobus locis[4] suo arbitrio fecisse dicuntur a Cicerone viro hujus rei peritissimo, cujus sententiæ Tacitus quoque assentiri videtur[5]. Cum igitur dubitari non possit, quin in hoc opere et ex his viris præstantissimus fuerit Appius, fieri non potest, quin in illo summum fuerit ingenium, quo maximo studio et labore summo nisus efficiebat, ut post eam ætatem fundamenta juris certæquæ normæ omnium rerum causarumque dijudicandarum haberet Romana civitas; videbimus vero, qualem gratiam illi retulerit respublica. Primo anno decemviratus exacto cum magistratus novi eligendi essent, iterum honorem Appius adeptus est ad eum obtinendum usus rationibus, de quibus dissentiunt auctores, nam dum Livius ambitionem ejus gravissimis contumeliis verborum vituperat[6], Dionysius ejusmodi artes pæne ignorat[7], neque enim dubium est, quin usque ad id tempus summo studio plebs amplexa sit Claudium, quod cum ex multis Dionysii locis[8] apparet tum ex illo Livii "favore plebis". Et constat etiam ex collegio decemvirorum anno trecentesimo quarto 450
a. u. c. creatorum tres vel quattuor, quin etiam quinque e

[1] H. N. XXXIV, 11, 21.

[2] XIV, 1, 25.

[3] Huc accedit testimonium Pomponii quod reperimus in libro "de Origine juris" inscripto, ubi hæc sunt verba auctoris: "Qui ipsi" (decemviri) animadverterunt aliquid deesse istis primis legibus, ideoque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adjecerunt et ita ex accidenti appellatæ sunt. Leges duodecim tabularum, quarum ferendarum auctorem fuisse decemviris Hermodorum quendam Ephesium exulantem in Italia, quidam retulerunt (§ 4).

[4] De or. I, 13, 58. De rep. II, 36, 61.

[5] Ann. III, 27.

[6] III, 35.

[7] X, 58.

[8] v. g. X, 57, 58.

plebe factos esse[1] — ἐκ δὲ τῶν δημοτικῶν Κόϊντος Ποϊτέλλιος, καὶ Καίσων Δουέλλιος καὶ Σπόριος Ὄππιος apud Dionysium sunt, M. Rabulejum quoque et Antonium Merendam ejusdem fuisse ordinis nostræ ætatis scriptores[2] putant —, et, si auctoribus[3] credere volumus, pro certo habere possumus tunc ab Appio, qui, ut antea, princeps omnium erat, crudelem dominationem exerceri coeptam esse, sed utrum ordinarii fuerint hi magistratus, ut volunt Schwegler[4] et Niebuhr, an solum legibus scribundis creati, quod affirmat Mommsen[5], dijudicare non possum, neque spectant talia ad ea, quæ mihi proposui. Mores autem Appii tunc plane commutatos esse ideo, quod abjecisset modo dissimulationem, per quam omnia egisset, Livius putabat[6], sed melius rem explicare Dionysius conatus est[7]. Persuasum scriptori esse vi-

[1] Willems (L. sén. I pp. 50—58) hæc vera esse negat.

[2] Schwegler, R. G. III pp. 43, 44. Mommsen R. F. I p. 296. cfr Lange R. A. I p. 631 sq.

[3] Liv. III, 36—50; Dion. X, 59—XI, 45.

[4] R. G. III p. 10 sq.

[5] ibid.

[6] III, 36: "Ille finis Appio alienæ ferendæ personæ fuit; suo jam inde vivere ingenio coepit novosque collegas, jam priusquam inirent magistratum in suos mores formare", 35: "apparere nihil sinceri esse; profecto haud gratuitam in tanta superbia comitatem fore, nimium in ordinem se ipsum cogere et vulgari cum privatis non tam properantis abire magistratu quam viam ad continuandum magistratum quærentis esse".

[7] Jam cum Appius primum ad decemviratum accessit, mentem et consilia ejus ita describit, X, 54, 55: Εἰσῆλθε γάρ τις τὸν Ἄππιον ἐπιθυμία ξένην ἀρχὴν περιβαλέσθαι, καὶ νόμους καταστήσασθαι τῇ πατρίδι, ὁμονοίας τε καὶ εἰρήνης, καὶ τοῦ μίαν ἅπαντας ἡγεῖσθαι τὴν πόλιν ἄρξαι τοῖς συμπολιτευομένοις. Οὐ μέντοι καὶ διέμεινέ γε χρηστός, ἀρχῇ κοσμηθεὶς μεγάλῃ, ἀλλ' ἐξέπεσε τελευτῶν εἰς φιλαρχίαν ἀπαραχώρητον, ὑπὸ μεγέθους ἐξουσίας διαφθαρείς, καὶ ὀλίγου ἐδέησεν ἐπὶ τυραννίδα ἐλάσαι. Περὶ ὧν κατὰ τὸν οἰκεῖον διαλέξομαι καιρόν.

LV. Τότε δὲ οὖν, ἀπὸ τοῦ κρατίστου ταῦτα βουλευσάμενος, καὶ τὸν συνάρχοντα πείσας, ἐπειδὴ πολλάκις αὐτὸν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν ἐκάλεσαν οἱ δήμαρχοι, παρελθὼν πολλοὺς καὶ φιλανθρώπους. διεξῆλθε λόγους. C. Claudius eum hoc modo alloquitur XI, 13: Ἀναχώρει δὲ πάλιν εἰς τὴν σεαυτοῦ φύσιν Ἄππιε τέκνον et in causa Virginiæ dijudicanda hoc ei judicium datur 35: Ὁ δὲ Ἄππιος, οἷα δὴ φύσιν τε οὐ φρενήρης ἀνὴρ καὶ ὑπὸ μεγέθους ἐξουσίας διεφθαρμένος.

detur, Appium natura optimum virum neque ab initio quidquam aliud quam patriæ bonas leges dare appetentem, potentia corruptum, imperio summo abusum, postremo ira, metu, amore flagrantem scelera et facinora illa commisisse. Nam cum post finem anni alterius decemviri contra leges, tabulis duabus prioribus additis opere perfecto, magistratum obtinerent et patientiam civium usque ad extremum tentantes omnia nutu et arbitrio suo regere conarentur, eorum impulsu L. Siccius vir fortissimus interfectus esse dicitur[1], et fertur[2] Virginia, libera virgo, cujus libidine ardens Appius eam abducere et violare, cum donis corrumpere non potuisset, opera M. Claudii clientis cujusdam vellet, a patre occisa esse, ne vim decemviri pateretur. Tunc seditione orta exercituum, qui contra Sabinos et Aequos missi erant, et secessione plebis facta[3], omnes auctoribus L. Valerio Potito et M. Horatio Barbato in decemviros coorti hos magistratu se abdicare coëgerunt; Appius tribunos appellans, provocans, fidem populi Romani implorans in carcerem et vincula tamen ductus est, ubi voluntaria morte[4] judicium effugit, aut, quod etiam habet Dionysius[5], a tribunis interfectus est; Sp. Oppius, qui post illum maximo in odio apud plebem erat accusatus etiam in vinculis "ante judicii diem ibi finem vitæ fecit" [6] aut post damnationem quandam mortem occubuit[7], collegæ ceteri et M. Claudius exulatum ierunt. Has inspicienti narrationes[8] multa sunt, quæ sibi repugnantia fidem tollant[9], quod jam reperiemus, si Livio Dionysium, utrique

[1] Liv. III, 43; Dion. XI, 26, 27.

[2] Liv. III, 44—49; Dion. XI, 28—38.

[3] Liv. III, 52.

[4] Liv. III, 58.

[5] XI, 46.

[6] Liv. III, 58.

[7] Dion. ibid.

[8] Quibus somniis merisque nugis ac mendaciis nimium tribuisse videtur Lange (R. A. pp. 631 sqq.) nostram autem sententiam plane complectitur Ihne (R. G. I pp. 161—166).

[9] Qua de re hæc habet Mommsen (R. G. I, p. 284) fere: "Hæc eorum stilo, qui se applicaverint ad partes patrum, conscripta traduntur,

alios contulerimus. Vidimus apud Livium dissimulatione sola Appium adductum vera consilia obtexisse, dum ad dominationem perveniret, sed a Dionysio idem depingitur vir optimus potentia corruptus; ille animum abjectum ambitionemque vilem hominis in decemviratu iterum petendo eminentem multis verbis perhibet, hic nihil admodum hac de re habet, ex quibus rebus colligere possumus, alterum veram imaginem morum Appii non expressisse. Insigne etiam videtur ea expendenti, quæ scripsit Cicero in librorum, qui "De Republica" inscribuntur, secundi capitibus tricesimo sexto et septimo, quod nullo loco de facinoribus decemvirorum narrans nomen habet Appii, quem quidem alibi [1] dicit libidine arsisse Virginiæ; neque magis a Diodoro, qui quoque scelus memoret [2], mentio fit Appii auctoris. Zonaras tamen narrationem Livii et Dionysii contrahens reddit. Huc accedit, quod res multæ, nec illæ parvi momenti a Diodoro et Cicerone dissimillimæ aliorum scriptorum ita traduntur, ut dicat ille tunc primum factos decem tribunos plebei, eamque eo tempore adeptam esse jura a lege Licinia constituta consules eligendi, nesciat hic Valerio et Horatio ante consulatum internuntiis cum patribus a plebe actum esse, dicens hoc negotium tribus, quos nominat Livius [3], legatis datum, tradat idem exercitus protinus in Sacrum Montem, inde in Aventinum profectos esse. Quæ cum ita sint neque hæc sola secum pugnent, committere non possumus, ut de rebus credamus auctoribus, sed in narrationibus quoque Livii et Dionysii multum inest, quod non verisimile sit. Utrique convenit scriptori creatos patribus summa ope resistentibus esse plebis causa decemviros, qui leges scriberent certamque et firmam juris normam constituerent, neque est

neque autem, etsi omnia, quæ minoris sint momenti, omittuntur, fieri potest, ut summum discrimen, quod civitati leges duodecim tabularum dedit, per ejusmodi casus miros resque ad rempublicam pertinentes non minus singulares quam incredibiles eventum habuerit".

[1] De fin. II, 20.

[2] XII, 24.

[3] III, 50.

dubium, quin his omnibus rebus perfectis victoriam maximi fere momenti per totam liberæ civitatis ætatem reportaverit alter ordo. Qua in re cum omnium consensu principem fuisse constet Ap. Claudium summo studio utilitati plebis parentem, dantem leges excellentissimas, obscurorum hominum gratia formam rei publicæ prudentissime immutantem, qui fieri potuit, ut idem patrum, quorum commodis acerrime repugnaret, adjuvantibus junioribus, ut non minus quam Livius ait Dionysius, plebem illam, cui vellet omni ratione prodesse, violaret ejusque libertatem opprimere conaretur? De re Mommsen addubitat [1] fabulam magna ex parte commenticiam et fictam esse putans ad plebem deterrendam ne auctores sequeretur, qui se ejus causa dimicare simulantes nihil nisi dominationem omnium adipisci vellet [2]. Num igitur Appius, cui legislatori justissimam gratiam populus Romanus referre debuit, imperio turpiter abusus libidinibus et vitiis flagitiisque se inquinaverit, scire non possumus, sed constat pro beneficiis nomen ejus in rerum monumentis infame, ipsum improbissimum sceleratissimumque hominem depictum esse.

Per illa tempora de C. Claudio fratre decemviri aliquot locis mentionem fecerunt auctores narrantes illum summotum a decemviratu per Appium [3], quem in senatu admoneret [4] longam orationem habens [5], ut magistratu se abdicaret tertio jam anno retinens, exulatum iisse [6] nec revertisse priusquam potentia decemvirorum eversa "sordidatus cum gentilibus clientibusque in foro" prensaret singulos et ne in Appium sæviret, plebem oraret atque interfectoribus illius

[1] "Fieri quidem non potest, ut veritatem cognoscamus rerum, quæ de Appio summo loco depulso tradantur, nec comperire possumus, qualis Virginiæ — cædis enim Siccii narratio a posteris addita esse videtur — re vera fuerit causa". R. F. I p. 299.

[2] ibid. sq.

[3] Liv. III, 35.

[4] Liv. III, 40.

[5] Dion. XI, 7—15.

[6] Dion. XI, 22. Cfr Liv. III, 58.

309/475 exprobraret[1]. M. Genucio et C. Curtio coss.[2] legi Canulejæ restitit et ejus sententia consules stimulabat ad tribunis adversandum atque apud Dionysium auctor fuisse traditur tribunos militum consulari potestate eligendi[3]. C. Claudius vir fuisse videtur non tanto ingenio præditus, quantum in ceteris Claudiorum erat, et natura mitiore, quod colligere possumus ex ratione, qua contra Ap. Claudium usus est[4]. Eum tamen in re patrum defendenda firmum dicit Dionysius[5] et a Livio appellatur[6] constantissimus vir in optimatium causa, quare rogationibus de tribunis faciendis decem et publicando Aventino[7] solus obstitit et in decemviris oppugnandis a L. Valerio laudatur[8], sed ab auctore ipso "minime popularis"[9] dictus est. Huic proximus familias enumeranti gentis nominandus est

4. **Appius Claudius Crassus,**

cui patrem fuisse X-virum Livii exstat ex testimonio, quod nos certiores fecit illum et in numero tribunorum militum
424 c. p. anno a. u. c. trecentesimo tricesimo creatorum et inde a puero in tribunos plebei plebemque infestissimum fuisse[10], sed nec ullo alio loco de illo quidquam habent auctores, nec in fastis nominatur. Nihil admodum de altero filio scimus decemviri, nisi nomen solum

5. **Publius Claudius Crassus,**

quod in fastis invenimus, ubi hæc sunt:

[1] Liv. ibid. Dion. XI, 49.
[2] Livius; Dion. XI, 53: M. G., C. Quintio.
[3] Liv. IV, 6; Dion. XI, 56.
[4] Liv. III, 40; Dion. X, 9.
[5] X, 9.
[6] III, 35.
[7] vide p. 19.
[8] Dion. XI, 19: ὁ βέλτιστος.
[9] Dion. XI, 55: ἥκιστα δημοτικὸς ὤν.
[10] IV, 35 & 36.

6. Ap. Claudius P. F. Ap. N. Crassus Inregillensis[1].

Nepos hic decemviri, cum illi vix adoleverit ætas,
summa vi plebis obstans commodis apud Livium inducitur[2]
et a Q. Servilio Prisco patribusque cunctis collaudatus est,
quod ostenderat, quomodo minas tribunorum eludere possent,
neque "degenerasset ab stirpe Claudia". Tribunus militum
c. p. anno a. u. c. trecentesimo quinquagesimo primo creatus[3] 403
acerrime restitit tribunis plebei, quibus militiam per hiemem
continuatam increpantibus nihil cessit in jurgiis et violentia,
et, ut erat disertus, longa oratione eos corripuit[4]. Cum
septem post annos M. Furio Camillo dictatore Veios oppu-
gnante cuniculoque illo via in arcem facta hostium non mul-
tum abfuit, quin urbs caperetur, literas ad senatum misit
imperator petens, ut præscriberent, quemadmodum de præda
esset agendum, quibus cognitis Appius P. Licinio censenti
concedendum multitudini, ut in castra iret occupatam direp-
tum urbem, adversatus est se suadere dicens, stipendio mi-
litibus persoluto in ærario eam collocarent pecuniam ad
tributis levandam plebem, quo majores omnium utilitates
ex illa prosperitate caperentur, neu committeretur, ut rapa-
cissimus quisque præoccuparet[5]. Dum C. Licinius et L.
Sextius alio alioque nomine patres extrahentes rogationem
suam de consule altero utique ex plebe creando sustinent,
Appii nullo loco mentionem fecit Livius, sed cum jam in
eo est, ut lex accipiatur, ille dicitur multa disseruisse de
criminationibus, quibus in Claudios uterentur[6]. Tali oratione
progrediens primum aspere in superbiam tribunorum invectus
est, deinde flagitiose patribus evenire exposuit, quod non
liceret ex illis utrumque consulem facere, postremo con-
temptionem atque injuriam deorum immortalium esse
ostendit, si eluderentur religiones hominem quendam ex plebe

[1] Quæ de hoc prædixerim, vide pp. 8 & 13.

[2] IV, 48.

[3] Liv. V, 1, ubi *Crassus* nominatur.

[4] Liv. V, 3—7.

[5] Liv. V, 20.

[6] Liv. VI, 40.

auspicato magistratum curulem creando. Postquam L. Genucius, cui Hernici provincia sorte evenerat, per insidias hostium interfectus est, "Ap. Claudium, quia dissuaserat legem, majore nunc auctoritate eventum reprehensi ab se
392 consilii incusantem dictatorem consensu patriciorum Servi-
362 lius consul dicit"[1]. Hoc honore præditus rem feliciter ges-
405 sit et duodecimo post anno consul cum L. Furio Camillo
349 creatus in honore mortuus est[2]. Filius illius

7. C. Claudius Ap. F. P. N. Inregillensis

340 anno a. u. c. quadringentesimo septimo decimo dictator dictus magistrum equitum C. Claudium Hortatorem dixit[3], sed vitio creati ambo se magistratu abdicaverunt, neque quidquam aliud de utroque cognovimus. Ab illo filii relicti sunt duo, quorum alter

8. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Cæcus

vel inter clarissimos omnium Romanorum numerari potest. Prius cognomen Crasso huic inditum esse teste scimus Frontino[4], sed postea Cæcus appellatus est. Luminibus illum captum esse verbis comperimus auctorum, qui tamen hac in re reddenda rumores et ficta potius quam similia veri tradiderunt, nam ut omnium consensu hominem oculos perdidisse constat, ita dissentiunt narrantes, qua de causa et quo tempore hæc clades eum oppresserit, quam censor sa-

---

[1] Liv. VII, 6.

[2] Liv. VII, 24, 25. Cfr. Cic. De sen. 12, 41. Quod Drumann (Geschichte Roms II, p. 170) proposuit, duos fuisse Claudios, quorum
403 utrique prænomen Appio, alter autem tribunus militum c. p. anno a. u. c. trecentesimo quinquagesimo primo, alter dictatura functus consul anno
349 a. u. c. quadringentesimo quinto esset, intelligere non possum, quid hæc sibi velit sententia, nam in fastis vir hos tres adeptus honores.

Ap. Claudius P. F. Ap. N. Crass. / Crassus Inregillensis nominatur, quare Mommsen quoque scripsit "videtur idem" (C. I. L. I, p. 624).

[3] Liv. VIII, 15.

[4] De aqu. 5.

crilegio quodam Herculis[1] dicitur "aliquot post annos" contraxisse a Livio, cui assentiuntur Valerius Maximus[2] et Sex. Aurelius Victor[3], qui tamen putare videntur eum non multo post censuram excæcatum esse. Quibus locis Cicero hanc debilitatem memorat Appii sibi persuasisse mihi videtur eum jam provecta ætate ex oculis laborasse[4], neque committendum, opinor, ut in sententia scriptoris hæreamus, cum apud eum hæc invenimus: "Appium quidem veterem illum, qui cæcus multos annos fuit, et ex magistratibus et ex rebus gestis intelligimus in illo suo casu nec privato nec publico muneri defuisse"[5]. Ut vero censor, consul, prætor, interrex, dictator honoribus amplissimis et laboribus gravissimis perfunctus sit cæcus ille vir, quis est, qui credat, eum imperio præditum urbes capturum, hostes victurum, exercitum ducturum fuisse, nisi alba discernere et atra posset? Ex verbis Appiani[6] colligi posse videtur auctorem arbitrari Appium jam grandem natu debilitate illa affectum esse, sed insipientis est credere eum metu senatus commotum domi mansisse cæcum simulantem[7].

---

[1] Liv. IX, 29.

[2] I, 1, 17, cfr. VIII, 13, 5.

[3] De vir. ill. XXXIV, ubi etiam addit, Appium pecuniam numerantem effecisse, ut sacra servis publicis proderentur. Cfr. Macrobius, Sat. III, 6, 13.

[4] De sen. 6, 16: "Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut cæcus esset", 11, 37: . . . "Appius regebat et cæcus et senex", or. de dom. 40, 105: "Quem umquam audisti majorum tuorum" (Publi Clodi) "qui et sacra privata coluerunt et publicis sacerdotiis præfuerunt, cum sacrificium Bonæ Deæ fieret interfuisse? Neminem, ne illum quidem, qui cæcus est factus." De har. resp. 18, 38: "ne id quidem sentis, coniventes illos oculos abavi tui magis optandos fuisse, quam hos flagrantes sororris"? Pro Cæl. 14, 33: "Exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis ac potissimum Cæcus ille, minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit". Phil. I, 5, 11: "Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur, ad quam causam etiam Appium illum, et cæcum et senem, delatum esse memoriæ proditum est.

[5] Tusc. V, 38, 112.

[6] Samn. III, 10, 2.

[7] Diod. Sic. XX, 36. Mommsen quoque addubitat, num huic toti

312 Censuram Appii, quam ab anno a. u. c. quadringentesimo quadragesimo secundo gerebat, posteris quam maxime insignem commemoraverunt Livius[1] et Diodorus[2], cujus ex verbis cognovimus, Claudium in senatum legisse filios libertinorum et civibus concessisse, ut in quavis tribu suo ipsorum arbitrio res censerent. Non est dubium, quin ut hac in re Appius casus futuros reipublicæ prospexerit et infimo populo consulere voluerit, ita in odia patrum magisque plebis nobilium incucurrerit, quare illum non minus antiqui

narrationi quid insit veri, demonstrans fieri non potuisse, ut in republica administranda versaretur Appius, si oculos perdidisset, sententiæ ineptias attingens Diodori, ostendens cognomen illud jam censori Claudio inditum esse ab auctoribus fastorum capitolinorum. (R. F. I, p. 302.) Cfr. Lange, R. A. II, p. 87.

[1] Et censura clara eo anno Ap. Claudi et C. Plauti fuit, memoriæ tamen felicioris ad posteros nomen Appi, quod viam munivit et aquam in urbem duxit, eaque unus perfecit, quia ob infamem atque invidiosam senatus lectionem verecundia victus collega magistratu se abdicaverat: . . . XXX. Itaque consules, qui eum annum secuti sunt, C. Junius Bubulcus tertium et P. Aemilius Barbula iterum, initio anni questi apud populum deformatum ordinem prava lectione senatus, qua potiores aliquot lectis præteriti essent, negaverunt eam lectionem se, quæ sine recti pravique discrimine ad gratiam ac libidinem facta esset, observaturos, et senatum extemplo citaverunt eo ordine, qui ante censores Ap. Claudium et C. Plautium fuerat. (IX, 29, 30.)

[2] Infamis illa atque invidiosa senatus lectio his verbis a Diodoro describitur:

Ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν τιμητὰς εἵλοντο καὶ τούτων ὁ ἕτερος Ἄππιος Κλαύδιος ὑπήκοον ἔχων τὸν συνάρχοντα Λεύκιον Πλαύτιον, πολλὰ τῶν πατρῴων νομίμων ἐκίνησε· τῷ δήμῳ γὰρ τὸ κεχαρισμένον ποιῶν, οὐδένα λόγον ἐποιεῖτο τῆς συγκλήτου . . . .

. . . Κατέμιξε δὲ καὶ τὴν σύγκλητον οὐ τοὺς εὐγενεῖς καὶ προέχοντας τοῖς ἀξιώμασι προσγράφων μόνους, ὡς ἦν ἔθος, ἀλλὰ πολλοὺς καὶ τῶν ἀπελευτέρων υἱοὺς ἀνέμιξεν, ἐφ' οἷς βαρέως ἔφερον οἱ καυχώμενοι ταῖς εὐγενείαις. Ἔδωκε δὲ τοῖς πολίταις καὶ τὴν ἐξουσίαν ὅπου προαιροῖντο τιμήσασθαι· τὸ δ' ὅλον, ὁρῶν τεθησαυρισμένον κατ' αὐτοῦ παρὰ τοῖς ἐπιφανεστάτοις τὸν φθόνον ἐξέκλινε τὸ προσκόπτειν τινὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν ἀντίταγμα κατασκευάζων τῇ τῶν εὐγενῶν ἀλλοτριότητι τὴν παρὰ τῶν πόλλῶν εὔνοιαν (XX, 36).

Cfr. Willems, Le sén. d. l. rép. rom. I pp. 184 sqq., Plutarchus, Popl. 7.

quam nostræ ætatis scriptores aliquot animo iniquissimo intuentur [1]. Quid his factis sibi voluerit Appius, difficillimum est ad dijudicandum, sed constat eum postea maxime invisum fuisse patribus, neque tamen animos totius plebis allexisse ad benevolentiam, qua Livius [2] quidem Appium omnino caruisse narrat, quamvis multitudinem eum dilexisse tradat Diodorus [3]. Summam tamen gloriam adeptus est Appius duobus immensis operibus, quæ "solus perfecit", viam aquamque Appias, quarum illa, ut tunc erant tempora, maximis a populo Romano susceptis negotiis adnumerari potest [4], hæc a Frontino [5] prima in urbem ducta esse fertur M. Valerio Maximo, P. Decio Mure coss. eodem anno, quo censor erat Cæcus, quem Clodiam alloquentem Cicero inducens utrumque opus memorat [6]. Quarum rerum sumptibus ærarium pæne effudisse a Diodoro [7] Appius dicitur, id quod Mommsen [8] summis laudibus tollit hac ab re initium

[1] Cfr. Lange, R. A. I^3 pp. 76 sqq. Ut hic sibi persuasum esse dicit Appium infimæ plebi semper consuluisse censorem (passim) ita contendit eum hac in re superbia illa Claudiis insita (p. 77) nec populari quodam animo (ibid.) commotum ea benignitate usum esse omnia ad patrum commoda referentem principibusque plebis nocere conatum (p. 80 sq.) esse, quo facilius ipse multitudine nixus summum locum reipublicæ obtineret, (78 sq.) quin etiam dominationem adipisceretur.

Quid sibi velit hæc sententia equidem intelligere non possum, qui enim fieri potest, ut hominis, qui magistratum anno trecentesimo duodecimo a. Ch. n. gesserit, consilia cognoscamus atque judicemus, si dictis factisque ejus non dicam non consentiunt, sed plane repugnant?

[2] IX. 34.

[3] XX, 36.

[4] Verisimillimum est, hoc opus non ab Appio censore perfectum esse, nam apud Livium invenimus (X, 23) Cn. et Q. Ogulnios ædiles cu-
rules Q. Fabio et P. Decio consulibus, Ap. Claudio prætore creatis "se- 458
mitam saxo quadrato a Capena posta ad Martis" stravisse et (47) "dam- 296
natis aliquot pecuariis perstratam esse viam a Martis silice ad Bovillas" 461
L. Papirio Cursore, Sp. Carvilio Maximo coss. 293

[5] De aqu. 5.

[6] pro Cæl. 14, 34.

[7] ibid.

[8] R. G. I, p. 449.

duxisse scribens majestatem populi Romani bellis partam, pecuniis jam non coacervatis sed collocatis in operibus, quæ maximo usui omnibus essent.

Fabellam, quæ a Suetonio[1] narratur de Claudio quodam Druso, ad Cæcum spectare affirmat Mommsen[2] non esse fere quemquam dicens, qui putet ea ætate re vera ejus nominis dominum fuisse Italiæ, ex loco autem ipso illius statuæ colligens, neminem nisi Appium verbis his Suetonii designari, neque dubium esse contendens quin corrupta sint.

Cum scribat Livius collegam Appii non multo post lectionem hujus senatus magistratu se abdicasse, colligi tamen posse videtur ex verbis ipsius auctoris C. Plautium honorem obtinuisse, dum duodeviginti post menses "Aemilia lege finitum censuræ spatium temporis[3] esset[4]. Appium enim recusantem, ne magistratu se abdicaret, negantemque tunc censores ea lege teneri P. Sempronius tribunus plebei vehementer corripiens neque minus in familiam quam in hominem invectus cum alia tum dixit collegam ejus legis præcepto illius obedivisse et tali oratione progrediens minatus est se in vincula ducturum esse censorem, nisi morem sibi gereret ille[5], qui tamen adduci non potuit ut cederet, sed auxilio collegarum Sempronii usus trium solus censuram gerebat[6]. Hac tota narratione Livii mirum in modum pingitur Cæcus in gentis superbia violentiaque adversus plebem perseverans, quamquam constat omnium consensu eundem libertinis egentissimoque cuique favisse, quod videlicet leviter transit scriptor et tantummodo perstringit in Appium ubique probra et convicia jaciens. Videtur Claudius ea ætate non tam grandis natu et juventute ferox novis rebus studuisse, nihil autem — forsitan dehortati sint eum

---

[1] Tib. 2: "Claudius Drusus, statua sibi cum diademate ad Appii forum posita Italiam per clientelas occupare tentavit."

[2] R. F. I, p. 308 sq.

[3] IX, 33.

[4] Cfr. Momms. R. Stsr. II, p. 324, n. 2.

[5] Liv. IX, 34.

[6] ibid.

casus Sp. Cassii, Sp. Mælii, abavi illius decemviri [1], aliaque in amicos nefanda facinora commissa plebis — contra leges egisse [2], sed cum intellexisset, sibi adversari et patres et plebem summa vi ingenii, quod in eo erat acerrimum maximeque impigrum, ad res gerendas accessisse quarum de summa utilitate nemo addubitare posset.

Instituta censoris Appii non diu mansisse jam ex verbis Livii, quæ retuli [3], apparet, sed postea pæne eversa sunt.
Nam cum Appius, ut consul anno a. u. c. quadringentesimo 307
quadragesimo septimo crearetur, se censura abdicare coactus esset [4] et Romæ mansisset, quod senatus Qu. Fabio imperium prorogaverat, hunc reperimus insigni de causa multa ex institutis Appii immutavisse. Narrat enim Livius [5] Cn. Flavium Cn. [6] filium libertini, qui scriptum fecisset, disertum et prudentem hominem, ædilem curulem factum P. Sul- 450
picio Saverrione, P. Sempronio Sophone coss. "civile jus 304
evulgasse fastosque circa forum in albo proposuisse, ut quando lege agi posset, sciretur." Addit scriptor fabellas quasdam et eadem fere habent Valerius Maximus [7] et Aulus Gellius [8]. Hunc autem Flavium illud opus ut populo omni ita infimo cuique causam agenti utilissimum auctore

---

[1] Hunc semper ante oculos Appii versatum esse cum ex verbis apparet Livii (IX, 34, 1) tum persuasum scriptoribus est nostræ ætatis (cfr. v. g. Momms. R. F. I, p. 304, Lange, R. A. I, pp. 77 & 89).

[2] Hac de re disseruit Mommsen (R. Stsr. II, 1, p. 324) exempla afferens temporis censoribus prorogati ad opera perficienda (n. 1) quæ in magistratu suscepissent, quare credere possumus Ap. Claudium pro potestate ea fecisse, quæ ei soli censori vehementissime exprobrant auctores. Cfr. Willems Le sén. d. l. rép. rom. I, p. 185 cum n. 5.

[3] p. 30 n. 1.

[4] Liv. IX, 42.

[5] ibid. 46.

[6] Hoc in prænomine ascribendo errasse videtur scriptor, nam et apud Plinium et apud Gellium (VII, 9, quater) et apud Ciceronem, cujus quidem in epistola ad Atticum verbum "Anci" ex "Anni" factum esse putant (Momms. R. F. I, p. 97 n. 66, Weissenb. ad Liv. IX, 46, 1) Anni filius nominatur Flavius.

[7] II, 5, 2.

[8] VII, 9.

et adjutore Appio perfecisse testimoniis Pomponii[1] et Plinii[2] constat. Quam rem omnibus maximi momenti fuisse Cicero ostendit[3], neque minus constat Flavio creato summam nobiliorum ortam esse indignationem, quam describunt Livius[4], Valerius Maximus[5], Gellius[6], quamobrem instituta Appii, ne tempore quidem lustri solito observato[7] factis Q. Fabio et P. Decio censoribus[8], tollere maturabant patres, quibus tam gratum fuit id negotium, ut illi cognomen Maximo darent[9]. Sin autem Flavius, uti volunt Mommsen[10] quoque et Weissenborn[11], scriba erat Ap. Claudii, priusquam ad ædilitatem illam perveniret, mihi re vera ita popularis Cæcus fuisse videtur, ut illa etiam de causa in odio summo esset non magis patribus quam plebi, quæ jus omne assequi vellet, nihil tamen humilioribus tribui pateretur.

[1] De orig. jur. 7: "Postea, cum Appius proposuisset et ad formam redegisset has actiones" (Legis sive legitimæ), "Gnæus Flavius scriba ejus libertini filius, subreptum librum populo tradidit: et adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, et senator, et ædilis curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur Ius civile Flavianum."

[2] "Frequentior autem usus anulorum non ante Cn. Flavium, Annii filium deprehenditur. Hic namque publicatis diebus fastis, quos populus a paucis principum quotidie petebat, tantam gratiam plebis adeptus est (alioqui libertino patre genitus et ipse Appii Claudii Cæci scriba, cujus hortatu exceperat eos dies, consultando assidue sagaci ingenio, promulgaveratque) ut ædilis curulis crearetur cum Q. Anicio Prænestino, qui paucis ante annis hostis fuerat, præteritis C. Poetelio et Domitio, quorum patres consules fuerant. Additum Flavio, ut simul et tribunus plebis esset." (H. N. XXXIII, 6.) Cfr. Liv. IX, 46, Val. Max. IX, 3, 3.

[3] De or. I, 41, 186; Ad Att. VI, 1, 8; Pr. Mur. XI, 25; Ad Att. VI: 1, 18.

[4] IX, 46.

[5] IX, 3, 3.

[6] VII, 9, 5 & 6.

[7] Cfr. Momms. R. Stsr. II, p. 318 cum n. 1; C. I. L. I, p. 445.

[8] anno $\frac{450}{304}$ (fasti).

[9] Liv. IX, 46.

[10] R. F. I, p. 304.

[11] ad Liv. IX, 46.

Quoniam non minus ex his omnibus rebus quam ex loco quodam Macrobii [1] facillime intelligimus Appium infimæ plebis gratia jura imminuere patrum conatum esse, quam maxime sane mirabilis est narratio de cursu honorum insequente illius a Livio edita. Nam cum M. Valerio et Q. 454
Apulejo coss. Q. et Cn. Ogulnii tribuni plebei rogationem 300
illam promulgavissent, ut quattuor pontifices, quinque augures de plebe omnes allegerentur, legem dissuadens inducitur [2], Appius, cujus tamen dictum ne in respondendo quidem P. Decio Muri pro lege acerrime disserenti Claudioque superbiam et pertinaciam exprobranti scriptor refert. Hic quidem tradit [3] Appium interregem anni a. u. c.
quadringentesimi quinquagesimi quinti priorem comitia non 299
habuisse, Cicero autem narrat [4] M. Curium tribunum plebei ei "comitia contra leges habenti" restitisse "interregi", quam fabellam Livius adeo exornavit, ut ab eo diceretur Appius studuisse se ipsum cum Fabio consulem fieri [5] anno a. u. c.
quadringentesimo duodesexagesimo. His ex rebus colligi 296
potest Appium jam ad partes patrum se summo studio ap-

[1] Sat. I, 15, 9: "priscis ergo temporibus antequam fasti a Cn. Flavio scriba invitis Patribus in omnium notitiam proderentur" &c.

[2] X, 7.

[3] X, 11.

[4] Brut. 14, 55.

[5] "cum primo vocatæ Q. Fabium consulem dicerent omnes centuriæ, Ap. Claudius, consularis candidatus, vir acer et ambituosus, non sui magis honoris causa, quam ut patricii recuperarent duo consularia loca, cum suis tum totius nobilitatis viribus incubuit, ut se cum Q. Fabio consulem dicerent. Fabius primo de se eadem fere quam priore anno dicendo abnuere. circumstare sellam omnis nobilitas, orare, ut ex coeno plebeio consulatum extraheret, maiestatemque pristinam cum honori tum patriciis gentibus redderet. Fabius silentio facto media oratione studia hominum sedavit: facturum enim se fuisse dixit, ut duorum patriciorum nomina reciperet, si alium quam se consulem fieri videret, nunc se suam rationem comitiis, cum contra leges futurum sit, pessimo exemplo non habiturum, ita L. Volumnius de plebe cum Ap. Claudio est factus, priore item consulatu inter se comparati. nobilitas objectare Fabio fugisse eum Ap. Claudium collegam eloquentia civilibusque artibus haud dubie præstantem" (X, 15).

plicavisse, id quod alienissimum est homine, cui nemo mobilitatem et levitatem objicere voluit, cujus autem animum firmum et constantem omnes collaudant, ad quam tollendam difficultatem variæ exstant sententiæ, de quibus pauco infra scribam. Consul anni quadringentesimi duodesexage-
296 simi in Etruriam profectus cum duabus legionibus ibi haud feliciter rem gessit, sed opera collegæ Volumnii, quem alii ipsum ex Samnio accivisse affirmant, negant alii, fudit fugavit hostes et, postquam Bellonæ ædem vovit, victoriam egregiam a Tuscis atque Samnitibus reportavit [1]. Cum bellum ingravesceret, Appius ad senatum scripsit precatus, ut sibi subsidium mitteretur, et absens prætor creatus [2] mansit in castris, dum a Fabio, qui imperium consul anni insequentis acceperat, Romam dimissus est, ubi monuit, ne Etruria negligeretur, et dicitur contentionibus inter magistratus ortis interfuisse, donec contra Samnites missus ibi secunda fortuna usus cum L. Volumnio pro consule hostes pervicit [3]. Quarum rerum gestarum Appii memoriam retinet elogium:

Appius. Claudius
C. F. Cæcus

Censor. cos. bis. dict. interrex. III.
pr. II. æd. cur. II. Q. tr. mil. III. com
plura. oppida .de. samnitibus. cepit
sabinorum et tuscorum. exerci
tum. fudit. pacem. fieri. cum tyrrho
rege. prohibuit. incensura. viam
appiam. stravit. et aquam. in
urbem. adduxit. ædem bellonae
fecit (C. I. L. I p. 287) [4].

[1] Liv. X, 18, 19.
[2] „ „ 22.
[3] „ „ 25, 26.
[4] Instituto Appii imagines in templis collocandi ortus esse mos traditur a Plinio: H. N. XXXV, 3, 12: "Suorum vero clypeos in sacro

Cum igitur hoc testimonium nos certiores faciat Cæcum Dict. ter interregem bis Pr. ædilemque cur. q. ter trib. mil. fuisse, quibus temporibus hos consecutus sit honores nescimus. Dictaturam Appium Mommsen gessisse vult[1] intra annos
a. u. c. 465—468, Niebuhr autem sibi persuasit[2] hunc ma- 289-286
gistratum Claudio mandatum esse post cladem Romanorum a Samnitibus C. Pontio duce acceptam Q. Fabio Gurgite, D. Junio Bruto coss. 462/292

Quod vidimus Appium per tot annos in re publica administranda versatum plebi infimæ humilioribusque civibus favisse, jura tamen patrum Livio maxime auctore acerrime defensisse, mirum quantum sibi ipsa natura repugnat ejus. Facies ergo quasi duplex et diversa in Appio ostenditur, quare sententia quoque Momseni inclinare videtur ad putandum, hæc testimonia de superbia Appii et effrenata violentia prolata plane esse indigna quibus credatur[3]. Cupiditatem quandam scriptorum Claudios vituperandi eorumque fastidium, arrogantiam, odium in plebem proferendi non solum in Cæci rerum monumentis adhibitam invenimus sed præstantissimus quisque gentis traditur crudelis insolens re-

---

vel publico vel privatim dicare primus instituit ut reperio Ap. Claudius, qui consul cum Servilio fuit anno Urbis CCLIX. Posuit enim in Bellonæ æde majores suos placuitque in excelso spectari & titulos honorum legi. Decora res, utique si liberorum turba parvulis imaginibus ceu nidum aliquem subolis pariter ostendat, quales clypeos nemo non gaudens favensque aspicit“, quibus quidem verbis falso proditum esse memoriæ Appium Sabinum (1) principem fuisse hujus rei inveniendæ Mommsen docuit (R. G. I, p. 453 sq., R. F. I, p, 310 cum n. 1).

[1] C. I. L. I, p. 624.

[2] R. G. III, p. 466.

[3] Parum credibile esse ea ætate contentiones fuisse de altero consule e plebe eligendo inter tribunos et Appium sanum virum, adeo permutata ejus sententia, ut se ad inimicos acerrimos patres et Q. Fabium Rullianum illum Maximum applicaret, quorum commodis et potentiæ semper restitisset, demonstravit hic doctissimus rerum Romanarum auctor et putat fabellas istas (Cic. Brut. 14, 55, Liv. X, 15) secum re proxime conjunctas, quibus memoriam rerum ejusmodi comprehensa sit, verba et ineptias esse. (R. F. I, p. 312.)

rum humanarum et divinarum contemptor fuisse, quod jam in decemviro judicando ostendere scriptoribus propositum progeniei illius toti additur. Quam famam tamen conferenti factis hominum sæpissime egregiis et civitati vel utilissimis apparet ejusmodi maledicta cum injustissima tum dubia et controversa a scriptoribus emanare, qui aut non recte intellexerunt, quid sibi voluissent Claudii, et hos summa cum iniquitate et opinionibus vanis judicant, aut infesti in unum vel alterum gentilem odio adducti sunt, ut vitia omnium adaugerent, meritas laudes imminuerent. Constare igitur mihi quidem videtur tantum affuisse ut Claudii plebem vexare vellent, ut contra in iis liber quidam animus — quem infra tractare et declarare conabor — re vera esset. Omnium tamen studiosissimus fere libertatis Cæcus fuit, cujus facultas reipublicæ cum prudentia et providentia temperandæ quam maxime est admiranda, neque igitur dubium est, quin in illo viro summum fuerit ingenium, quod non magis in magistratibus gerendis quam aliis rebus ostendit. Ita eloquentissimus fuisse traditur apud Livium [1], qua facultate clarissima de causa usus est tum, cum Pyrrhi regis pacis condiciones Romanis ferentis legato Cineæ in senatu vehementer restitit, qua de re abundant testimonia auctorum.

Nam cum hic post proelium apud Heracleam P. Va-
474/280 lerio Lævino, Ti. Coruncanio coss. factum [2] a rege missus esset oratum, ut liceret in urbem venienti coram loqui de pace constituenda [3], nec plane recusavisse viderentur patres, quin Pyrrho morem gererent [4], se ferri Ap. Claudius jussit in curiam, ubi gravis jam annis et humeris filiorum innixus hæc fere dixisse dicitur [5]. Antea quod omisisset lumina se poenituisse, tunc autem cupere se carere sensu audiendi, ne

[1] X, 19 et 22.

[2] Cfr. Mommsen R. G. I, p. 397, Ihne R. G. I, p. 434.

[3] Liv. ep. l. XIII.

[4] ibid. Cic. Brut. 14, 55, De sen. 6, 10, Plut. An seni sit ger. resp. 21.

[5] Plut. Pyrrhus 18; App. Samn. 10, 2.

comperiret consilia illa turpissima. Gloriatos eos futurum fuisse, ut Alexander, si semel cum Romanis conflixisset in acie, non invictus ferretur, tunc convenam quendam et latronem metuentes ostendere, ipsos se in eis verbis faciendis magnifice solum jactasse. Ne existimarent, Romanis, si cum copiis Italia cessisset Pyrrhus, non relictos esse hostes, quos ipsi ignavia et facilitate cum quolibet de pace agendi ad arma excitarent [1]. Quibus dictis commoti patres regi renuntiarunt, se cum eo non pacturos esse, antequam exercitum abduxisset ex Italia [2]. Orationem illam suæ ætatis memoria retentam esse ait Cicero [3], et exemplum illud summæ constantiæ laudant Florus [4] quoque et Zonaras [5] neque quidquam magis egregie factum facile inveniri posset quam fortitudo ea senis, qui in senatu trepido et pacem cum Pyrrho facturo solus pro patria et virtute Romana loqui ausus dicendo effecit, ut societas dirimeretur et summo in periculo firma et obstinata respublica staret. Neque tamen eloquentia sola præstitit Appius, sed etiam juris prudentia et poetica quadam facultate præditus erat. Illam Pomponius [6] latius perscribit, hanc Cicero commemorat [7] sibi videri dicens Appii Cæci Pythagoreum carmen, quod

[1] Plut. Pyrrhus 19; App. Samn. 10, 2. Cfr. Mommsen R. G. I, p. 399; Ihne R. G. I, p. 440 sq.

[2] Val. Max. VIII, 13, 5; Suet. Tib. 2; Cic. pr. Cæl. 14, 34, De sen. 6, 16, ubi versus hos ad hanc rem spectantes refert Ennii:

"Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant
Antehac dementes esse flexere viai?"

Ab Ovidio Appius collaudatur lepidissime, Fast. VI, 203 sq.:

"Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit, lumine captus erat."

[3] De sen ibid. Cfr. Brut. 16, 62.

[4] I, 18, 20.

[5] VIII, 4.

[6] De orig. juris I, 37: "Post hunc ejusdem generis Appius Claudius maximam scientiam habuit . . . Hunc etiam actiones scripsisse traditum est, primum de usurpationibus, qui liber non exstat."

[7] Tusc. IV, 2.

ex sententiis proverbiisque constitisse videtur aliquot [1]. Filius alter C. Claudii Crassi (7) erat

9. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Caudex.

Hujus prænomine eodem ac fratris adducti sunt nonnulli, ut crederent Appios hos fratres patrueles solum fuisse, id, quod, quamquam non minus inscriptionibus quam testimoniis auctorum repugnat, in medio relinquo sententiam secutus Mommseni, qui demonstravit [2], auctores collegisse genitos esse eos eodem patre ex nominibus ejus et avi, quæ in fastis sunt, minime autem, cum inter Cæci primum et Caudicis consulatum tot anni interessent, verisimile esse fratres fuisse eos Claudios. Consul creatus est Caudex anno
264 a. u. c. quadringentesimo nonagesimo factis insignibus in rerum monumentis quam maxime memorabili, quoniam tunc orta sunt ea bella, quibus imperium populi Romani orbis terrarum finibus definiretur funditusque interiret Carthago. Cum tamen his in rebus describendis minime consentiant auctores antiqui, horum narrationes inspiciam. Res a Gellio nominatur [3] eamque breviter exposuit Aurelius Victor [4],

[1] E quibus illud:

"Amicum cum vides, obliscere miserias
Inimicus sies commentus nec libens æque"

habet Priscianus (VIII, 18) et putant esse "fabrum esse quemque fortunæ", "quod in carminibus Appius ait" (Sall. De ord. rep. 1, 1) Cfr. Mommsen R. F. I, p. 303.

[2] R. F. I, p. 25 n. 37.

[3] XVII, 21: "Anno deinde post Romam conditam quadringentesimo ferme et nonagesimo consulibus Appio Claudio, cui cognomentum Caudex fuit, Appii illius Cæci fratre et Marco Fulvio Flacco bellum adversus Poenos primum inceptum est" . . .

[4] De vir. ill. 37: "Appius Claudius victis Volsiniensibus cognomento Caudex dictus, frater Cæci fuit. Consul ad Mamertinos liberandos missus est, quorum arcem Carthagenienses et Hiero rex Syracusanorum obsidebant. Primo ad explorandos hostes fretum piscatoria nave trajecit et cum duce Carthageniensium egit, ut præsidium arce deduceret. Rhegium regressus quinqueremem hostium pedestribus copiis ce-

Polybius autem nobis rerum Romanarum plurimi æstimandus auctor multo latius hoc fere modo gesta anni narravit [1].

Cum diu consultavissent, postremo autem constituissent patres, opem esse ferendam Mamertinis, Ap. Claudio ad munus electo imperabant, ut trajiceret Messanam, cujus illi arcem jam obtinentem Poenum ducem, qua territum, qua circumventum expulserant, quo cum pervenisset Claudius oppidum occupavit [2]. Navibus in unum locum ad promuntorium Pelori contractis copiis terrestribus summa vi urbem obsidebant Carthagenienses [3], quorum foedus Hiero rex appetens sibi datam esse advenas illos barbaros e Sicilia ejiciendi occasionem ratus Syracusis movit, iter faciens Messanam, ubi castris positis altera ex parte [4] portas præclusit. Ap. Claudius, cui interea contigerat, ut noctu fretum transmitteret, cum hostes terra marique superiores undique impetum facientes vidisset, reputans se haud mag-

pit, ea legionem in Siciliam traduxit, Carthagenieses Messana expulit. Hieronem proelio apud Syracusas in deditionem accepit, qui eo periculo territus Romanorum amicitiam petiit, iisque postea fidelissimus fuit."

[1] I. 11 sq.

[2] Apparet non minus ex ipsius verbis in capitis undecimi paragrapho nona scriptis: ὁ δὲ στρατηγὸς τῶν Ῥωμαίων Ἄππιος νυκτὸς καὶ παραβόλως περαιωθεὶς τὸν πορθμὸν ἧκεν εἰς τὴν Μησσήνην, quam ex testimoniis aliorum hoc loco auctorem aut putavisse Ap. Claudium fuisse eum, qui esset C. Claudius consulis legatus, aut oblitum esse mentionem facere reditus Appii in Italiam, nam aperte scripsit c. 11, 4: (οἱ δε Μαμερτῖνοι) τὸν δ' Ἄππιον ἐπεσπῶντο, καὶ τούτῳ τὴν πόλιν ἐνεχείριζον.

Narravit enim et Dio Cassius (frgm. 43, 5—10) et Zonaras, qui hunc secutus est, Gaium illum a consule Appio Regium præmissum esse, unde navigatione freti facta cercuro Messanam perveniret. Ibi eum multa locutum esse et, postquam Regium revertisset, primum conatum cum paucis navibus auxilium ferre Mamertinis, sed ab Hannone classis Carthageniensium præfecto impeditum postremo in urbem pervenisse, ubi contione advocata peteret, ut sibi liceret cum Hannone colloquium facere. Vi captum, cum ad forum descendisset, militibus persuasisse Poenum, ut secum excederent arce et oppido, et iis tunc Romanos potitos esse.

[3] "περι τὰς Σύνεις καλουμένας."

[4] "περὶ τὸ Χαλκιδικὸν ὄρος καλούμενον."

nam laudem capturum ex proelio eventu tam dubio primo de obsidione liberandis Mamertinis agere conatus est, deinde, cum minus ei successisset, omnia periclitatus arma Syracusanis intulit, nec pugnam Hiero detrectavit, quæ cum diu anceps fuisset, victor discessit Romanus ab hoste et cedentes ad vallum castrorum insecutus corporibus cæsorum spoliatis Messanam rediit. Se intendentibus tenebris Hiero futura præsentiens Syracusas movit, qua de re certior factus Appius nihil cunctandum ratus Poenos, ubi illuxit, aggressus multos occidit, reliquos, ut in urbes finitimas se reciperent, coegit, obsidione soluta, secunda usus fortuna nemine adversante agris vastatis Syracusas oppugnare conatus est. Eadem fere contrahens retulit Diodorus[1] addens Appium Regii moratum misisse ad Hieronem et Carthagenienses, qui hortarentur, ut res contra Mamertinos susceptæ dirimerentur, et cum consul advenisset, Hieronem Syracusas fugisse credentem a Poenis per dolum transitu non prohibitos esse Romanos, Claudiumque devictis Carthageniensibus urbem quandam[2] obsidentem multis omissis militibus Messanam postremo movisse. Quibus scriptoribus dissentiunt Dio Cassius[3] et Zonaras[4] narrantes equites Appii in pugna illa cum Hierone commissa fugatos esse, Romanos mox a Carthageniensibus victos opera eorum frustra tentasse, consulem Hieronem secutum, in angustias compulsum dolo evasisse præsidioque Messanæ relicto Regium profectum esse. Verisimillimum igitur esse videtur et C. Claudium ab Appio præmissum Messanam occupatam tenuisse urbem modicis viribus, donec consul ipse perveniret, nec tantas victorias reportasse Appius, quantas descripsit Polybius[5]. Rem, quæ parvæ gloriæ est populo Romano

[1] XXIII, 1 & 4.

[2] Ἐχέτλαν.

[3] frgm. 43, 11 sq.

[4] VIII, 8, 9.

[5] Cfr. Niebuhr, R. G. III, pp. 660—666, Mommsen, R. G. I, pp. 514 sq. Ihne, R. G. II, pp. 32 sq.

Incepta esse hæc clarissima bella ab Appio multorum quoque con-

in magistratu illius institutam esse Valerius Maximus narrat[1] tradens tunc primam pugnam gladiatoriam Romæ factam esse.

stat testimoniis aliorum, Cicero rem memorat (De inv. I, 19, 27) hunc referens versum:

"Appius indixit Karthageniensibus bellum"

de quo addit Orellius: "Est fortasse Ennii versiculus; in ceteris edd. pro prosa or. habetur." Apud Florum hæc sunt: "Igitur specie quidem socios juvandi, re autem sollicitante præda, quamquam territaret novitas rei (tanta tamen in virtute fiducia est), ille rudis, ille pastorius populus" (Romanus) "vereque terrester, ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur. Appio Claudio consule primum fretum ingressus est fabulosis infame monstris æstuque violentum; sed adeo non est exterritus, ut illam ipsam ruentis æstus violentiam pro munere amplecteretur, statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum regem tanta celeritate vicit, ut ille ipse se prius victum, quam hostem videret, fateretur" (II, 2). Hæc Suetonius habet: "Claudius Caudex primus freto classe trajecto, Poenos Sicilia expulit" (Tib. 2), Vellejus Paterculus hæc: "Hunc finem habuit Romani imperi Carthago æmula, cum qua bellare majores nostri coepere Claudio et Fulvio consulibus" (I, 13) et "Primus in Siciliam exercitum trajecit consul Claudius" (II, 38). Eutropius tradit: "et contra Afros bellum susceptum est primum Appio Claudio, Q. Fulvio consulibus. In Sicilia contra eos pugnatum est, et Appius Claudius de Afris et rege Siciliæ Hierone triumphavit." (II, 18), qua in re errasse videtur scriptor, nam neque in actis triumphorum nominatur Caudex et negat Mommsen (R. G. I, p. 515) eum illum honorem esse adeptum. Orosius quoque (IV, 7) res gestas Appii memoravit, factis tamen et annis conturbatis admodum. Seneca, quid Appii cognomen declaret, his verbis illustrat: "Hoc quoque quærentibus remittamus, quis Romanis primus persuaserit navem conscendere? Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus caudex apud antiquos vocatur, unde publicæ tabulæ codices et naves nunc quoque, quæ ex antiqua consuetudine commeatus [per Tiberim] subvehunt, codicariæ vocantur." (De brev. vitæ 13.) Hanc narrat fabellam Frontinus: "P. Claudius cos. primo bello Punico, cum a Rhegio Messanam trajicere militem nequiret, custodientibus fretum Poenis, sparsit rumorem, quasi bellum injussu populi inceptum gerere non posset, classemque Italiam versus se agere dissimulavit, digressis deinde Poenis, qui profectioni ejus habuerant fidem, circumactas naves appulit Siciliam (Strat. I, 4) ad quam reddendam prænomine Publio adducor, quod facillime Claudio inditum esse crederem, nisi omnium consensu illum quoque Appium nominatum esse constaret.

[1] II, 5, 7.

Liberis Cæcum floruisse colligi potest ex verbis Ciceronis[1] et Valerii Maximi[2]. Filiorum maximus natu

10. **Ap. Claudius Ap. F. C. N. Rufus,**

268 consul anno a. u. c. quadringentesimo octogesimo sexto creatus est cum P. Sempronio Sopho, quorum in magistratu Ariminium et Beneventum colonos missos et jus suffragii ferendi Sabinis datum esse a Vellejo Paterculo[3] proditum memoriæ est, et ab Eutropio[4] victis Picentibus[5] uterque triumphasse dicitur, id, quod in actis invenimus, ubi sunt:

Ap. Claudius. Ap. F. C. n. rufus an. cdxxci.
Cos. De. Peicentibus.

Cognomen huic quoque ultimo e gente Crasso inditum esse dicit Drumann[6], Mommsen autem Rufum habet[7]. Res gestas horum consulum Livium tractasse in libro quindecimo ex epitoma ejus apparet, ubi sunt: "Picentibus victis pax data est. Coloniæ deductæ Ariminium in Piceno, Beneventum in Samnio".

Orbus mortuus esse Rufus videtur, sed a fratribus ejus progenies orta est liberorum, quorum maxime claruerunt duæ familiæ, Pulchri et Nerones, sed etiam e tertii Cæci filii Centhonis stirpe generata est familia, quam quidem mox exoletam ante Pulchros et Nerones tractabo.

Filiarum Cæci nobis nota est una

---

[1] De sen. XI, 37.
[2] VIII, 13, 5.
[3] I, 14.
[4] II, 16.
[5] Cfr. Florus I, 19.
[6] G. R. II, p. 175.
[7] Cfr. verba hujus C. I. L. I, p. 462.

11. **Claudia,**

quæ Fabio Licino Otacilio Crasso coss. aliquando domum 508
rediens ludis spectatis turba pressa esse dicitur et fore ut 246
de vita sua actum esset rata nisi ad Drepana male pugnatum, irata cupivisse Publium fratrem [1] a mortuis excitari, qui classem iterum amitteret, ne tanta Romæ multitudo esset. Cujus rei causa die ei dicta a C. Fundanio et Ti. Sempronio ædilibus plebei, multata est æris gravis viginti quinque milibus [2].

[1] Vide 15.

[2] Aul. Gell. X, 26; Val. Max. VIII, 1, damn. 4; Suet. Tib. 2; Liv. ep. XIX.

Centhones.

Filius tertius Cæci

12. **C. Claudius Ap. F. C. N. Centho**

240 consul creatus est anno a. u. c. quingentesimo decimo et
quarto, quem memorabilem in studio litterarum versanti esse
commonent Cicero[1] et Aul. Gellius[2] tradentes tunc primum
Livium fabulam docuisse anno ante natum Ennium, post
Sophoclem et Euripidem mortuos plus fere centesimo, post
Menandrum quinquagesimo secundo.

529/225 Censor erat Gaius cum M. Junio Pera L. Aemilio
Papo, C. Atilio Regulo coss.[3]; interrex proditus esse[4] vi-
217 detur anno a. u. c. quingentesimo tricesimo septimo, dic-
213 tator dictus comitiorum causa[5] quingentesimo quadragesimo
primo.

Tradidit Orellius[6] hunc esse illum Centhonem, quem narrat Cicero[7] a M. Cincio legem ferente de donis et muneribus[8] salse reprehensum esse.

---

[1] Tusc. I, 1, 3, Brut. 18, 72.

[2] XVII, 42.

[3] Fast. cap.

[4] Liv. XXII, 34.

[5] Liv. XXV. 2.

[6] Onom. Tull.

[7] De or. II, 71, 286.

550/204 [8] M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano coss. Cfr Cic. De sen. 4, 10.

Filius Gai

13. C. Claudius Centho

bello cum rege Philippo P. Sulpicio Galba, C. Aurelio coss. 554/200 Romanis implicatis[1] Athenas missus cum viginti longis navibus et mille militum[2], postquam Piræum pervenit spe jam labentibus sociis animos exsuscitavit, qui nihil jam conari ausi terrore hostium perculsi erant. Claudius Athenas satis defendi posse ratus opera trium Rhodiarum navium, quæ interea venissent subsidio, cum certior factus esset Chalcidem negligentius custodiri, summa providentia profectus urbem oppressit, sed magna clade hostium facta, horreis et armamentario incensis, captivis e carcere emissis, paucitate militum Piræum redire coactus est[3].

Frater hujus

14. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Centho

ædilis curulis Q. Fulvio, L. Manlio coss. ludos Romanos 575/179 instauravit prodigiorum causa quorundam[4] et in Hispaniam advenisse[5] a Livio traditur, ubi contra Celtiberos bellum gessit, quos castra Romanorum oppugnantes tanta clade fudit fugavitque, ut pacatos redderet eos[6], quas ob res gestas exitu anni Romæ unius diei supplicatio decreta est et placuit, ut Appius ovans urbem iniret[7], quod in actis ita relatum invenio:

ap. claudius C. f. ap. n. Centho Pro. a. dlxxix
pr. ovans ex hispania et celtiberia.

Ex verbis Livii[8] forsitan colligi possit hac ætate præ-

[1] Liv. XXXI, 5.

[2] Liv. XXXI, 14.

[3] Liv. XXXI, 22, 23. Zon. IX, 15. Cfr Mommsen R. G. I p. 705 sq.

[4] Liv. XL, 59.

[5] Sp. Postumio Albino Paullo, Qu. Mucio Scævola coss. 580/174

[6] Liv. XLI, 26.

[7] Liv. XLI, 28.

[8] XLI, 26: "Celtiberi in Hispania pacati manserant M. Titinio prætore obtinente provinciam. Rebellarunt sub adventum Ap. Claudi.

torem fuisse Centhonem, id, quod nunc in actis etiam legitur, scribens[1] autem "Appi Claudi proconsulis" errasse videtur auctor[2].

581 Narrat Livius[3] Ap. Claudium[4] L. Postumio Albino,
173 M. Popilio Lænate coss. missum ad res Thessaliæ et Perrhæbiæ componendas usuris gravissimis æris alieni plebem levasse et anno insequenti cum Cn. Servilio Cæpione et T. Annio Lusco electum legatum Centhonem in Macedoniam profectum ad res repetendas, unde a Perseo rege superbia elato insolenter accepti redierunt amicitia et societate regi renuntiatis[5].

170 Hic Claudius fuisse videtur, qui anno a. u. c. quingentesimo octogesimo quarto a consule Hostilio in Illyricum missus[6] ad Uscanam oppidum turpem cladem accepit[7], quam ignominiam insequenti anno corrigere conatus est Phanotam, Epiri castellum, adoriendo[8] sed cum auxilia flagitasset Achæos, hos per Polybium mitti vetuit consul Q. Marcius Philippus, incertum autem, ut ait ille[9], est, utrum hæc fecerit cura Achæorum commotus necne[10]. A proposito deterritus

[1] XLI, 28.

[2] Cfr Momms. C. I. L. I, p. 463.

[3] XLII, 5.

[4] Cujus Appii cognomen cum non tradatur, fieri potest, ut ea mandata confecta sint ab Appio Claudio Pulchro, de quo infra disseram, quam tamen rem dijudicare non possumus. Vide Weissenb. ad Liv. XLII, 5, 7—9.

[5] XLII, 25.

[6] Liv. XLIII, 9.

[7] Liv. XLIII, 10.

[8] Liv. XLIII, 21.

[9] XXVII, 11, quo loco ea, quæ de his precibus Appii traduntur, solo nixa sunt. Cfr Schweighæuseri Ind. editioni Ambrosii Firmin Didot additum, Momms. R. G. I, pp. (767 et) 769, (Ihne, R. G. III, pp. 188, 190 sq.).

[10] Hi Centhones apud Livium soli nominantur, sed nihil certi habemus quod credamus, eis mortuis exstinctam esse familiam, nam hæc tradit Polybius:

Ἡ σύγκλητος, ἔτι κατὰ χειμῶνα διακούσασα τῶν περὶ Πόπλιον Λέντλον ὑπὲρ τῶν κατὰ Προυσίαν, διὰ τὸ νεωστὶ παραγεγονέναι τούτους

in itinere et castris positis damna gravia accepit Appius non magis sociorum quam militum, dum in hiberna dimissis suis per Illyricum Romam rediit [1].

ἐκ τῆς Ἀσίας εἰσεκαλέσατο καὶ τὸν Ἀθήναιον τὸν Ἀττάλου τοῦ βασιλέως ἀδελφόν. Οὐ μέντοι προσεδεήθη λόγων, ἀλλ' εὐθέως καταστήσασα πρεσβευτάς, συνεξαπέστειλε τῷ προειρημένῳ τοὺς περὶ Γάϊον Κλαύδιον Κέντωνα καὶ Λεύκιον Ὁρτήσιον καὶ Γάϊον Αὐρουγκουλήϊον, ἐντολὰς δοῦσα κωλύειν τὸν Προύσιαν Ἀττάλῳ πολεμεῖν. Quæ tamen accidisse constat (cfr Momms. R. G. II, p. 53) inter annos urbis quingentesimum 156-154
nonagesimum octavum et sexcentesimum, qua ætate nullum C. Claudium Centhonem vixisse ex aliis testimoniis scimus, nisi vero interrex anni quingentesimi tricesimi septimi (12) aut filius ejus (13) hoc negotio functi sunt.

[1] Liv. XLIII, 23.

Pulchri.

Filius alter Ap. Claudii Cæci

15. **P. Claudius Ap. F. C. N. Pulcher**

249 consul creatus est anno a. u. c. quingentesimo quinto, quo classis siciliensis præfectus bellum contra Poenos gerebat, qui Drepana in portum se receperant, ubi Claudius eos opprimere voluit. Proelio devictus est et magnam partem classis militumque amisit, quam rem narraverunt Polybius [1] et Diodorus [2], sed quantum fuerit detrimentum consulis — maximum certe — non satis constat aliis alium navium perditarum numerum tradentibus. Huic rei additur fabella, quam habet Cicero [3]. Nam proelium commissurus, cum non pascerentur pulli, eos in mare abjici Publius jussisse dicitur "ut biberent, quoniam esse nollent". Hac re usi sunt auctores non magis ad superbiam Claudiorum illustrandam quam ad ostendendum, quanta reipublicæ pericula neglectæ afferrent religiones [4]. Valerius Maximus tradidit Publio diem dictam esse, qua tamen imbre subito coorto reus liberare-

[1] I, 49 sq.

[2] XXIV, 1.

[3] De nat. deorum II, 3, 7.

[4] Cic. De Div. II, 8, 20; 33, 71. Suet. Tib. 2. Val. Max. I, 4, 3. Florus II, 2, 29, quem prænomen Appii Pulchro addentem non minus falli quam Val. Max. VIII, 1, 4 aliorum testimonio necesse est. Plinium quoque errasse satis constat scribentem: "Urbis quidem anno quingentesimo quinto Appio Claudio Cæci nepote L. Junio coss. etc."

tur[1]. Multatum autem esse eum scimus ex testimonio Polybii[2], a quo magna pecunia damnatus esse dicitur, quod etiam est apud Ciceronem[3] addentem collegam Claudii necem sibi ipsum conscivisse[4]. Publium tamen non omnino artibus imperatoriis caruisse ex verbis Frontini colligi potest, quibus[5] fertur ille evasisse reliquis viginti navibus ornatis, velut si vicisset[5]. Cum post proelium illud calamitosum et fatale Romam ad senatum redisset patribus, ut dictatorem diceret, hortantibus Claudium Gliciam viatorem dixit[6], qui tamen coactus est se magistratu abdicare et postea ludos prætextatus spectavit[7]. Quæ ex fastis vera esse comperimus, ubi sunt:

M. Claudius C. F. Glicia Qui Scriba fuerat Dictator coact. abdic. sine mag. eq.

Morte voluntaria vitam finivisse Publium, ut existimare
Niebuhr[8] videtur, credere non possum, nam ex verbis Ci-
ceronis[9] apparet non ambo consules ita diem obiisse. Mor-
tuum tamen esse Pulchrum jam ante annum urbis quin- 246
gentesimum octavum verba sororis ejus Claudiæ[10] osten-
dunt.

In scholiis bob. ad orationem Ciceronis in P. Clodium et Curionem rerum gestarum Publii fere omnium memoriam brevi comprehensam invenio V, 4, ubi nominantur tribuni pl. Pullius et Fundanius, qui diem ei dixerunt, et traditur æris gravis CXX milibus damnatus esse Claudius.

---

[1] VIII, 1, 4.
[2] I, 52.
[3] De nat. deorum I, 3, 7; De Div. II, 33, 71.
[4] Cfr. Eutr. II, 16.
[5] Strateg. II, 13.
[6] Suet. Tib. 2. Liv. epit. 19.
[7] ibid.
[8] R. G. III, p. 715.
[9] De nat. deor. I, 3, 7; De Div. I, 33, 71.
[10] Vide p. 45.

Hoc natus est

16. **Ap. Claudius Pulcher**

qui ædilitate functus de legione tertia tribunus militum cum P. Cornelio Scipione post pugnam Cannensem summum imperium omnium consensu anno quingentesimo duodequadra-
216 gesimo adeptus [1] insequenti anno prætor [2] reliquias exercitus in Siciliam traduxit [3], ubi frustra regi Hieronymo persuadere conatus est, ut a foedere cum Hannibale pacto descisceret [4]. Prorogato deinde omnibus, qui ad exercitus erant, imperio [5] in Sicilia mansit et consiliis Hippocratis atque Epicydis, qui partes defendebant Carthaginiensium, obsistendo operam dedit [6], donec Leontinis captis legatus Claudii Marcelli principio Syracusas oppugnandi summa diligentia interfuit [7], unde Romam ad consulatum petendum rever-
212 tit [8]. Consul anni quingentesimi quadragesimi secundi [9] cum Q. Fulvio collega et Claudio Nerone [10] Capuam obsedit et eum per annum et comitiis perfectis [11] per insequentem, quo consulibus prioribus imperium prorogatum est decretumque ut obsidionem urbis cum exercitibus, quos haberent, continuarent neve inde moverent, antequam capta esset Capua [12]. Fortiter sub ipsis moenibus urbis pugnans milites que ante prima signa adhortans grave vulnus accepit Claudius [13], quo æger sævitiæ tamen collegæ in captivos ferocissime animad-

[1] Liv. XXII, 53.
[2] „ XXIII, 24,
[3] „ „ 41, Plut. Marc. 13. Pol. VIII, 3.
[4] „ XXV, 6, 7.
[5] „ „ 10.
[6] „ „ 29, 33, 36.
[7] Pol. VIII, 5, 9; Plut. Marc. 14. Zon. IX, 4 'Πούλχρῳ'.
[8] Liv. XXIV, 39, quo loco ordinem rerum perturbasse videtur. Weissenb.
[9] Liv. XXV, 2, 3.
[10] Vide, pag.
[11] Liv, XXV, 22, 41.
[12] „ XXVI, 1.
[13] „ „ 5, 6.

versuri neque exspectaturi litteras senatus Romani restitit, quamquam ille summa ope rem adproperans supplicium sumpsit de Capuanis, priusquam voluntatem patrum ex epistola allata cognovisset[1]. De tempore mortis Appii non plane consentiunt auctores. Nam ut Livius in capite libri vicesimi sexti sedecimo scribit quosdam tradidisse Pulchrum sub deditionem Capuæ diem obiisse, ita ipse in capite ejusdem libri tricesimo tertio narrat mortuum esse post captam Capuam Claudium consulem[2], neque aliorum ex testimonio auctorum[3] quidquam certi hac de re comperire possumus, quamquam apparet hunc solum non per totum obsidionis tempus moenia Capuæ reliquisse. Constare tamen videtur vulnus mortem ejus effecisse. Fortissimus ille bellator idoneus quoque erat, qui rempublicam regeret et gubernaret, ut enim ingenium ejus mite et "facile impetrandæ veniæ" erat[4], atque sententia ejus, qua suasit, ut exspectarent, donec potestas fieret patribus causas captivorum perquirendi, dicta est, opinor[5], temporis terendi causa, dum iræ belli resedissent, ita non dubium est quin clementiæ ipsi ea ætate summa infuerit prudentia. Soror Appii fuisse videtur[6]

17. Claudia Quinta

cujus nomine adduci possumus, ut credamus multas fuisse P. Pulchro filias, et quæ apud Ciceronem "progenies mea" a Cæco appellata clara facta est ab auctore narrante[7] eam quondam, cum P. Scipio[8] vir optimus judicaretur, matro-

---

[1] Liv. XXVI, 15.

[2] procons. Weissenb.

[3] Zon. IX, 6, qui memorat vulneratum esse Claudium; Pol. IX, 3, 47; qui Appium summum in obsidione gessisse imperium credere videtur, App. Hann. 37, 40, 43. Flor. II, 6.

[4] Liv. XXVI, 15.

[5] Cfr. tamen Momms. R. G. I, p. 643.

[6] Cfr. Orelli Onom. Tullianum.

[7] pr. Cælio 14, 13, De har. resp. 13, 27.

[8] Cn. f. ejus, qui in Hispania ceciderat, Liv. XXIX, 14.

narum populi castissimam existimatam esse. Nam cum bello Punico secundo libros Sibyllinos veteres adiissent, saxum de cælo lapsurum et matris Idææ signum futurum portentum esse suasumque, ut id Pessinunte ex urbe Phrygiæ nobilissima, ubi decidisset, avectum Romæ collocaretur[1]. Cum ad deam accipiendam obviam iisset Scipio cum matronis et jam in eo esset, ut adversa Tiberi duceretur navis, in vado quodam eam hæsisse neque prius avelli potuisse, quam a Claudia pudicitiam testante inde moveretur[2]. Ovidius versibus celebravit Quintam[3], quibus amabili suo more eam cultu habituque et "ornatis varie capillis" rumore adverso fuisse, sed tunc famam retinuisse castitatis finxit. Quem secutus est Silius Italicus[4], cujus in carmine magnifico monstra Deæ verbis Claudiæ bene sonantibus orta sunt. Teste Valerio Maximo[5] donatam esse hanc constat statua, quæ bis æde Matris Deum, ubi posita erat, incendio consumpta intacta stetisset, id, quod commemoravit Tacitus narrans[6] effigiem quandam Tiberii simili modo servatam esse, neque dubium est, quin clarissimarum in numero feminarum Romanarum hæc ducenda sit Claudia[7], quam etiam Plinius[8] tradit cum Sulpicia pudicissimam fuisse matronarum. Apud Livium[9] superstitione et miraculis sublatis res narrata est eamque testimonio ejus accidisse sci-

---

[1] App. Hann. 56.

[2] Suet. Tib. 2. Aur. Victor. De vir. illustr. 46. Diod. Frgm. l. XXIV. Horum uterque falli videtur ille Claudiam Liviam nominatam virginem vestalem fuisse scribens, hic eam Valeriam appellans.

[3] Fasti IV, 305—344.

[4] Pun. XVII, 33—47.

[5] I, VIII, 11.

[6] Ann. IV, 64.

[7] Num ad eam, ut vult Weissenborn ad Liv. XXIX, 14, pertineant verba Macrobii: "Inde blandiebatur sibi Augustus lætum in filia animum usque ad speciem procacitatis sed reatu liberum, et talem fuisse apud majores Claudiam credere audebat" (II, 5, 4) confirmare non ansim, neque "reatu liber" mihi videtur animus Claudiæ fuisse.

[8] H. N. VII, 35.

[9] XXIX, 14.

mus P. Sempronio M. Cornelio coss. tempore jam appetente, cum P. Scipio alter ille P. f. gloriam Hannibalis 550/204
devicti Africanique cognomen adepturus erat, neque fecit scriptor mentionem cujusquam ad hoc munus præter Cn. filium electi. Ut mihi quidem videtur in memoria rerum gestarum hominumque belli Punici secundi Romanorum fama imperatorum ingenio Hannibalis maxime egregio obruta evanescere, ita monitus hac difficillima ad dijudicandum quæstione virum optimum eligendi, facere non possum, quin firmitatem et concordiam senatus populique Romani admirer per discrimina summa augescentes, si conferuntur cum discordia illa turpitudineque invidiæ Poenorum et sordidis machinis horum a principibus inter se et contra Hannibalem assidue adhibitis.

App. Pulchro (16) filii erant tres, quorum

18. **Ap. Claudius Ap. F. P. N. Pulcher**

in Macedonia ad exercitum T. Quinctii Flaminini proconsulis tribunus militum stans colloquio imperatoris cum
rege Philippo anno a. u. c. quingentesimo quinquagesimo 197
septimo interfuit[1] et ab illo legatus Romam ad senatum missus cum Amynandro, Athamanum rege, Q. Fabio, Q. Fulvio[2], postquam anno insequenti rediit, Acræpiam cum parte copiarum profectus est[3]. Pace facta et Græcia liberata legatus exercitum per Thessaliam et Epirum duxit Ori-
cum, ubi Flamininum inde anno quingentesimo sexagesimo 194
trajecturum in Italiam exspectaret[4]. A M. Bæbio prætore
tunc contra Antiochum bellante anno quingentesimo sexa- 191
gesimo tertio ad præsidium Larisæ missus Ap. Claudius in jugis montium, quæ Gonnis, urbi Thessaliæ viginti millia

[1] Liv. XXXII, 35.
[2] „ „ 36.
[3] „ XXXIII, 29.
[4] „ XXXIV, 50.

passuum ab Larisa sitæ, imminent, castra posuit permagna, qua re ignibusque plurimis accensis tantum terrorem hostibus injecit ratis ibi totum exercitum adesse Romanum, ut rex cum suis se reciperet et obsidione liberaretur Larisa, ubi summo gaudio Appius acceptus est. Consul anni alter M. Acilius Glabrio Græciam sortitus provinciam mare interea cum viginti millibus peditum, duobus millibus equitum Heracleam oppugnaturus trajecerat et "adversus Dianæ templum Ap. Claudium opposuit". Urbe capta cum Naupactum adoriri consul constituisset, Pulchrum præmisit cum quattuor millibus militum, qui juga occuparet et iter ab
188 hostibus tutum redderet[1]. Prætor factus anno quingentesimo sexagesimo sexto Tarentum provinciam sortitus est[2]
185 et consul quingentesimo undeseptuagesimo[3] res in Liguribus Ingaunis feliciter gessit et pervicit, ut magistratui succederet Publius frater, cum honorem summi viri, Aemilii, Fabii, Sulpicii appeterent[4]. Anno, quo frater consul erat, princeps legationis in Græciam et Macedoniam a patribus missæ[5] ad res componendas et injurias quærendas ab Achæis commissas, de quibus conquesti erant Lacedæmonii, Lycortæ, qui longa oratione ei oblocutus est, animose respondit Appius, tunc melius esse Achæis sua sponte Romanis
580/174 parere, quam postea vi eorum cogi[6]. Sp. Postumio Albino Q. Mucio Scævola coss. in Aetolos tumultuantes cum C. Valerio Lævino, C. Memmio, M. Popilio, L. Canulejo a senatu Appius missus est[7].

[1] Liv. XXXVI, 10, 13, 14, 22, 30. App. Syr. 16. Cfr. Momms. R. G. I, p. 732.

[2] Liv. XXXVIII, 42.

[3] „ XXXIX, 23.

[4] „ „ 32.

[5] „ „ 33.

[6] „ „ 36, 37. Cfr. Momms. R. G. I. pp. 748—751.

[7] „ XLI, 25. Vide 14, pag. 48, n. 4.

Frater Pulchri

19. **P. Claudius Ap. F. P. N. Pulcher**

ædilis curulis anni a. u. c. quingentesimi sexagesimi quinti 189
tunc prætor factus[1] consul erat anno quingentesimo septuagesimo, quod jam in memoria Appii (18) reddenda narravi. Hic annus in litterarum monumentis insignis est mortuo T. Maccio Plauto[2]. Ad Claudium spectat elogium

> p. Claudius ap. f. p. n. pulcher
> colonos Adscripsit. Cales. Cos. Cum
> l. porcio iiiVir Coloniam Deduxit Graviscam[3],

quam rem Livius quoque memoravit[4] additis nominibus collegarum Pulchri C. Calpurnii Pisonis, C. Terentii Istræ.

Horum erat frater Claudiorum

20. **C. Claudius Ap. F. P. N. Pulcher**

qui anno quingentesimo undesexagesimo Q. Fabio Maximo 195
priore anno mortuo in collegium cooptatus est augurum[5],
et cum prætor Ti. Minucius anno quingentesimo septuagesimo 180
quarto occubuisset, in locum ejus suffectus[6] quæstionem habuit de veneficiis, quæ Romæ et intra decem millia passuum commissa essent[7], atque a senatu jussus est eorum, qui regis Gentii injurias passi essent, causas cognoscere[8]. Consul
creatus est anno quingentesimo septuagesimo septimo[9], 177
querentibus sociis nominis Latini militia vehementer se gravari, quia Romam et Fregellas immigrarent plurimi cives

---

[1] Liv. XXXVIII, 35 et Weissenb. ad loc.
[2] Cic. Brut. 15, 60.
[3] C. I. L. I, p. 279. 573
[4] factam P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Tamphilo coss. (XL, 29). 181
[5] Liv. XXXIII, 44.
[6] „ XL, 37.
[7] „ „ „
[8] „ „ 42.
[9] „ XLI, 8; Pol. XXVI, 7, Fasti.

nec minus superbe dilectus conficeretur; tantam cupidinem civitatis Romanæ adipiscendæ in omnes invasisse, ut vel liberi venirent, qui manumissi libertini cives fierent, aliisque dolis unumquemque uti aut contra jus in urbe censeri[1]. Quod ut ne accideret cautum est lege Claudia consulis, quæ jussit in suam quemque civitatem redire omnes, addito senatus consulto, quod intercessit, quominus machinis caperentur magistratus Romani[2]. Cum interea M. Junius et A. Manlius, prioris anni consules, in Histris res feliciter gessissent, Pulcher contra morem consuetudinemque civilem omni properans festinatione in provinciam illam, quam sortitus erat, profectus est, quo cum pervenisset, imperatorum summa contumacia acceptus, contumelias militum pæne tumultuantium passus, minatus, irrisus inde revertit Romam, unde cærimoniis cultis præceps in Histriam abiit[3], quam ut pacaret Nesactio urbe fluvio quodam coercito et Mutila et Faveria oppidis expugnatis, rege hostium ex manibus Romanorum ac ferro morte voluntaria elapso, ceteris captis aut occisis, ei magna præda parta contigit, postquam in auctores belli gravissime animadvertit[4]. His rebus confectis Ti. Claudium[5], qui litteris a senatu auxilium petierat, adjuturus legiones in Ligures traduxit, unde victoria egregia ad Scultennam flumen reportata Romam regrediens con-
578 sul triumphavit[6]. Prorogato ei imperio et Gallia provincia
176 Cn. Cornelio Q. Petilio coss. Mutinam recepit[7] et quinque post annos consularis tribunus militum cum P. Scipione consule bellum regi Persei inferente missus est[8].

Censor C. Claudius creatus est cum Ti. Sempronio
169 Graccho anno a. u. c. quingentesimo octogesimo quinto, et

[1] Liv. XLI, 8. Cfr. Lange, R. A. II, p. 271.
[2] „ „ 9 „ „ „ „ „ „ 273.
[3] „ „ 10 „ „ „ „ „ „ 280.
[4] „ „ 11.
[5] Vide p. 118.
[6] Liv. XLI, 12, 13.
[7] „ „ 14, 16, 18.
[8] „ XLII, 49. Cfr. Lange R. A. II, p. 284.

cum difficultates dilectus habendi ortæ essent, hac in re aliis magistratibus subvenire conati sunt illi declarando se in verba juri jurando communi[1] addita cives adacturos esse ad munus militiæ sustinendum et quæsituros, num qui sine justis causis a signis abessent; eos se redire coacturos, qua fide exsoluta, qui exercitus deseruissent, in ordinem redegerunt; senatu septem moverunt, tertium M. Aemilio Lepido principe lecto[2]. Homines, quorum potentia Romæ in dies crescebat censores offenderunt pronuntiando se in vectigalibus ultroque tributis vendendis nullam rationem habituros esse eorum, qui superiore lustro ea conduxissent, neque cuiquam horum licere condicionem ferre. Senatu[3] nequidquam in auxilium vocato veteres publicani edictum illud tollere adorti sunt opera P. cujusdam Rutilii tribuni plebei, qui privato odio jam censoribus infestus, cum clientem libertinum contra leges in publico ædificantem defendere frustra conatus esset, in contione rogationem promulgavit, ut irrita esset locatio C. Claudii, Ti. Sempronii. Ille cum legem dissuaderet nec populo obstrepente cum silentio audiretur, ut aures sibi admoverent quieti, per præconem imperavit; tribunus a se in ordinem coacto avocatam contionem dicens Capitolio relicto perduellionis consecratis bonis Tiberii utrumque reum fecit censorem, Pulchrum, quod ita egisset, Gracchum, quod in multa clienti illi dicenda sibi morem non gessisset intercedenti. Nihil tamen conterriti censores munera deposuerunt magistratus, dum judicium fieret, nec dubium erat, quin futurum fuerit, ut Claudius prior causam dicens octo equitum centuriarum contra eum latis sententiis condemnaretur, nisi summi viri supplices plebem adiissent et Sempronius, cui non esse periculum omnes clamassent, juravisset, se confestim cum collega exu-

[1] Cfr. Lange, R. A. I, p. 802; Momms. R. Stsr. II, p. 373 cum not. 3.

[2] Liv. XLIII, 14, 15, 6; Cfr. Lange R. A. II, pp. 290 sq. Momms. R. Stsr. II, p. 457 [2]).

[3] Cfr. Pol. VI, 17, 5.

latum iturum[1]. Censum Id. Dec. habentes multos equum ademerunt et P. Rutilium illum tribu motum etiam ærarium fecerunt severius, ut erant jam tempora, censuram agentes[2] omnino.

Libertini, quibus filius esset annos natus major quinque aut qui prædium prædiave pluris sestertium triginta milium haberent, tunc in tribus rusticas discripti erant, censor autem Gracchus hos magna ex parte ærarios factos voluisse videtur[3]. Negante Claudio fieri posse ut a censore quisquam, nedum universus ordo, suffragio privaretur, postremo convenit, ut in tribu quadam urbana sorte ducta — Esquilinæ tunc exiit — omnes censerent, qui servitutem servissent, propter quod magnæ gratiæ utrique a senatu actæ sunt[4]. Postquam mira concordia magistratum gesserunt, non concessum est orantibus, ut ad opera publica perficienda tempus prorogaretur, intercedente Cn. Tremellio tribuno plebei, quem in legendo senatu præteriissent[5].

---

[1] Cfr. Liv. XLIII, 16; Lange R. A. II, pp. 291 sqq. Momms. R. Stsr. I, p. 137 [5]), II, pp. 272 [3]), 456 [1]), III, pp. 259 [3]), 292 [1]).

[2] Liv. XLIV, 16. Cfr. Lange R. A. II, p. 296.

[3] „ XLV, 15, 2, ubi verba nonnulla desunt. Cfr. Lange R. A. II, p. 294, I, p. 518; Momms. R. Stsr. II, pp. 438 [1]) & 249 [2]).

[4] Judicium ejus rei Ciceronis hoc est: "sed, ut reliqua prætermittam, omnium nihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus eloquentissimos audisse Ti. et C. Sempronios, quorum pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens et sæpe alias et maxime censor, saluti reipublicæ fuit. Atque is non accurata quadam orationis copia, sed metu atque verbo libertinos in urbanas tribus transtulit, quod nisi fecisset, rempublicam, quam nunc vix tenemus, jam diu nullam haberemus" (De or. I, 9. 38).

[5] Liv. XLV, 15. Cfr. Lange R. A. II, pp. 294, 291. Momms. R. Stsr. II, p. 351 [1]).

In memoria harum rerum referenda erravit Aur. Victor: "Censor" (Ti. Sempronius Gracchus) "libertinos, qui rusticas tribus occuparant, in quattuor urbanas divisit, ob quod a populo collega ejus Claudius (nam ipsum auctoritas tuebatur) reus factus est, et cum eum duæ classes condemnassent, Tiberius juravit, se cum illo in exsilium iturum, ita reus absolutus est" (De vir. ill. 57).

Hæc sunt apud Aul. Gellium: "Cicero in libro sexto de republica ita scripsit: ""Quod quidem eo fuit majus, quia, cum causa pari collegæ

Quo postremo fungeretur negotio Claudius legatus in Macedoniam missus Q. Aelio M. Junio coss. narraverunt Livius[1] et Polybius[2] eodemque anno mortuus est[3].

Soror horum trium fratrum fuisse videtur

21. **Claudia,**

quæ Pacuvio Calavio Capuano nupsit[4].

C. Claudius censorius duo reliquit filios, quorum alter

22. **Ap. Claudius C. F. Ap. N. Pulcher**

erat, quem quidam[5] putavere fratre Gai Appio (18) genitum esse, quod tamen fastis, quos nunc habemus, maxime repugnat[6]. Consul creatus anno a. u. c. sexcentesimo un- 143
decimo[7] bellum intulit Salassis, quos, ut ipse triumphare posset, ultro lacessiverat, cum missus esset, qui controversias inter populares ortas de aqua ad aurum effodiendum ne-

essent, non modo invidia pari non essent, sed etiam Claudi invidiam Gracchi caritas deprecabatur.""" (VII, 16).

De re Valerius Maximus tradit: "Cum Ti. Gracchus et C. Claudius ob nimis severe gestam censuram majorem partem civitatis exasperassent, diem iis P. Popilius tribunus plebis perduellionis ad populum dixit, præter communem consternationem privata etiam ira accensus, quia necessarium ejus Rutilum ex publico loco parietem demoliri jusserant. Quo in judicio primæ classis permultæ centuriæ Claudium aperte damnabant, de Gracchi absolutione universæ consentire videbantur. Qui clara voce juravit, si de collega suo gravius esset judicatum in factis se paribus eandem cum illo poenam exilii subiturum, eaque justitia tota illa tempestas ab utriusque fortunis et capite depulsa est, Claudius enim populus absolvit, Graccho causæ dictionem Popilius remisit" (VI, 5. 3).

[1] XLV, 17.

[2] XXX, 10.

[3] Liv. XLV, 44.

[4] „ XXIII, 2.

[5] P. R. E. Drumann, G. R. II, p. 180.

[6] Cfr. Momms. C. I. L. I, p. 446.

[7] Fasti; Frontin. de aqu. 7.

cessaria dirimeret[1]. Principio victus est sed postea religiones quasdam suscepisse videtur duobus ex decemviris sacrorum ad eum Roma missis[2], quo facto victor triumphavit[3] invitis patribus plebeque et cum tribunus plebei e curru consulem detrahere vellet, Claudia virgo vestalis patrem complexa ei obstitit[4]. Censuram anno insequenti petens a populo repulsam tulit victus a competitore P. Cornelio Scipione Africano Aemiliano, quem irrisisse traditur Appius, quod ab adjutoribus infimis[5] proveheretur ad magistratum, qua re factum est, ut hi summi viri gererent inimicitias, quas Cicero quoque commemoravit[6]. Censor cre-
136 atus est Pulcher anno a. u. c. sexentesimo duodevicesimo, quo durus ejus animus a collega Q. Fulvio Nobiliore mitigatus esse fertur comitate quadam et moderatione uso, quibus speciem cedentis præbens effecit, ut re vera Appius quam minima potuit acerbitate obediret[7], horum autem de censura nihil admodum comperimus[8]. In matrimonium dederat Claudius filiam Ti. Sempronio Graccho, qua de re narrat Plutarchus fabellam lepidissimam[9], et cum genero fratreque ejus Gaio, ambobus tunc legem suam agrariam vel per vim cogentibus tribunos perferre conatis, anno sex-

[1] Dio Cassius frgm. 74 (Melber).

[2] ibid.

[3] „ Orosius V, 4, 7. Cfr. Lange R. A. II, p. 339.

[4] Dio Cass. ibid. Cic. Pr. Cælio XIV, 34. Val. Max. V, 4, 6, quorum testimonio exstat Suetonium falli narrantem (Tib. 2) hanc Claudiam sororem nec filiam Appii fuisse.

[5] Plut. Aem. Paul. 38 et Præcepta reip. ger. 14. Cfr. Lange R. A. II, p. 341, Willems, Le sén. d. l. rép. rom. I, p. 387.

[6] "Nam, ut videtis, mors Tiberii Gracchi et jam ante tota illius ratio tribunatus divisit populum unum in duas partes, obtrectatores autem et invidi Scipionis, initiis factis a P. Crasso et Ap. Claudio (De rep. I. 19, 31).

[7] Dio Cass. frgm. 80. Cfr. Plut. Tib. Gr. 4: ἀνὴρ τιμητικός, Momms. C. I. L. p. 446.

[8] Cfr. Lange, R. A. II, p. 347, Willems, Le sén. de la rép. rom. I, p. 388.

[9] Tib. Gr. 4. Cfr. Lange, R. A. III, pp. 2 & 7.

centesimo vicesimo primo triumvir agris dividendis nomi- 133
natus est[1], quod lapidibus etiam servatum habemus:

C. Sempronius ti f. grac.
Ap. Claudius. C. F. Polc
P. Licinius P. F. Cras.
III vir. A. I. A.[2]
AΓ Claud
Γ Licinius
III vir. A. I. A.[3]
M. Terentius M. F.
Varro. Lucullus
Pro. Pr. Terminos
Restituendos
Ex. S. C. Coeravit
Qua. P. Licinius
Ap. Claudius
C. Gracchus III vir
A. D. A. I. Statuerunt[4].

---

[1] "Tib. Sempronius Gracchus tribunus plebis cum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis" "ne quis ex publico agro plus quam mille jugera possideret" "in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegæ causam diversæ partis defendenti potestatem lege lata abrogaret seque et C. Gracchum fratrem et Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum crearet (Liv. ep. LVIII).

Quæ Vellejus quoque Paterculus narrat: "pollicitusque" (Tiberius Gracchus) "toti Italiæ civitatem simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnium statum concutientibus, summa imis miscuit et in præruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam; Octavioque collegæ pro bono publico stanti imperium abrogavit; triumviros agris dividendis colonisque deducendis creavit se socerumque suum, consularem Appium et Gaium fratrem admodum juvenem" (II, 2).

Appianus habet: Κόϊντος δὲ Μούμμιος ἀντ' αὐτοῦ δήμαρχος ᾕρετο, καὶ ὁ νόμος ὁ περὶ τῆς γῆς ἐκυροῦτο. Διανέμειν τε αὐτὴν ἐκεχειροτόνηντο πρῶτοι Γράκχος αὐτός, ὁ νομοθέτης καὶ ἀδελφὸς ὁμώνυμος ἐκείνου, καὶ ὃς ἐκήδευε τῷ νομοθέτῃ Κλαύδιος Ἄππιος (B. civ. I, 13). Cfr. Lange, R. A. III, p. 13, Momms. R. G. II, p. 88.

[2] C. I L. I, 552.

[3] " " " " 553.

[4] " " " " 583.

Appius a Macrobio[1] et Salius fuisse dicitur et gloriatus esse, quod inter collegas optime saltaret[2], princeps senatus lectus est a Q. Cæcilio Metello, Q. Pompejo censoribus[3] nec multo post mortem generi diem obiit[4]. In eo eloquentiam quandam fuisse Cicerone teste cognovimus[5].

Filii duo Appio erant, quorum alter

23. **C. Claudius Ap. F. C. N. Pulcher**[6]

arma sumpsit cum tota nobilitate juventuteque cum L. Appulejus Saturninus tribunus ille plebis anno sexcentesimo

[1] Sat. III, 14, 14.

[2] Augurem quoque fuisse Pulchrum docti viri (Willems, Le sén. d. l. rép. rom. I, p. 388, Drumann G. R. II, p. 181) collegisse videntur ex verbis Plutarchi Tib. Gr. 4:

Ἑστιωμένων γὰρ ἐν ταὐτῷ τῶν ἱερέων προσαγορεύσας (sc. ὁ Ἄππιος) τὸν Τιβέριον καὶ φιλοφρονηθεὶς αὐτὸς ἐμνᾶτο τῇ θυγατρὶ νύμφιον.

[3] Plut. Tib. Gr. 4. Cfr. Willems, Le sén. d. l. rép. rom. I, p. 388, Lange R. A. II, p. 347, Momms. R. F. I, p. 93, quibus ex locis apparet incertum esse, utrum ab illis censoribus an a collega suo ipsius lectus sit Appius.

[4] App. B. c. I, 18: Αναιρεθέντος δέ Γράκχου καὶ τελευτήσαντος Ἀππίου Κλαυδίου (Anno, quo consules erant L. Cornelius Lentulus et C. Claudius Pulcher [27]). Cfr. Willems, Le sen. d. l. rép. rom. I, p. 388 Lange, R. A. III, p. 21, Momms. R. F. I, p. 93; R. G. II, p. 97, Borghesi, Oeuvres complètes V, p. 317.

[5] Erat ejus "volubilis, sed paulo fervidior oratio" (Cic. Brut. 28, 108).

[6] In declarando, qua se attingerent hi Claudii cognatione maximæ occurrerunt difficultates et horum in memoria rerum gestarum reddenda sæpius Mommsenum secutus sum, quam P. R. E. et Drumannum (G. R. pp. 182—184) a quibus tradita diversa sunt.

Constat ex loco Ciceronis (Pr. Scauro 31: "Quid enim habet turpitudinis Ap. Claudium M. Scauro esse inimicum? quid, avus ejus P. Africano non fuit?") Appium (22) avum fuisse consulis anni septingentesimi (30) cujus pater erat cos. anni septingentesimi septuagesimi quinti (24) id, quod Mommsen ostendit (C. I. L. I, p. 448), Borghesium secutus allatis verbis Ciceronis De har. resp. 12, 26: "istiusmodi Megalesia fecit pater tuus" (P. Clodium alloquitur) "istiusmodi patruus? Is mihi etiam ge-

quinquagesimo quarto interficeretur[1] et sequenti anno ædilis curulis[2] Megalesia fecit[3] summo ornatu[4] apparatuque Romæ nondum cognito scenam decoravit[5]. 100

Prætor factus L. Licinio Q. Mucio coss. Halesinis leges dedit[6], consul creatus est anno sexcentesimo sexage- $\frac{659}{95}$

neris sui mentionem, facit cum Athenionis aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit, quam Gaii aut Appii Claudiorum“ ex quibus exstat fratres quosdam Ap. (24) et C. (23) Claudios patrem et patruum P. Clodii (32) fratris Appii (30) ædiles curules fuisse, quos Appio (22) genitos esse scimus testimonio quoque inscriptionis cujusdam:

P. Claudius. P. F.
Ap. N. Ap. Pron.
Pulcher. Q. Quæsitor
Pr. Augur.
(Or. 578.)

Cum cognoverimus duo C. Claudios (27: $\frac{624}{130}$. 23: $\frac{662}{92}$) cum duobus M. Perpernis consules fuisse, necesse est ad alterum spectare elogium, quod in C. I. L. I, p. 279, x invenimus, cujus verba hæc sunt:

c. claudius ap. f. c. n. pulcher
Q. III. vir. A. A. A. F. F. Aed. Cur. Iudex Q. Veneficis Pr.
Repetundis. Curator. Vis. Sternundis Cos.
Cum. M. Perpena.

Uter fuerit noster his dijudicare possumus rationibus. Denarium habemus quendam (C. I. L. I, 380, cfr. p. 280) signatum, ut docti viri sibi persuaserunt, anno fere urbis 650 et “C. Pulcher“ inscriptum, qua ex re colligitur consulem anni 662 tresvirum illum monetalem fuisse, qui est in elogio nominatus. Huc accedit, quod fieri non potuit, ut ille ante tempora C. Gracchi de repetundis quæstionem haberet, nisi prætor peregrinus esset (C. I. L. I, pp. 280 & 65). Quoniam ergo hic Claudius Ap. F. erat (cfr. Cic. De off. 16, 57, In Verr. II, II, 49, 122) quod sicut omnia, quæ de eo comperimus, optime consentit cum eis rebus, quæ ad consulem anni 662 pertinent, facile adducor, ut credam hunc natum esse Ap. Claudio cos. 611 (22) filio Gai cos. 577 (20) quare Ap. quoque Claudius cos. 675 (24) Ap. F. C. N. erat. (Cfr. Momms. C. I. L. I, pp. 447 sq. Or. Onom. Tull.).

[1] Cic. Pro Rab. perd. reo 7, 21; Phil. VIII, 5, 15. Cfr. Momms. R. G. II, p. 207.

[2] Plin. H. N. VIII, 7.

[3] Vide p. 64, n. 6.

[4] Cic. De off. 16, 57; In Verr. II, IV, 3, 6; 59, 133.

[5] Plin. H. N. XXXV, 4; Val. Max. II, 4, 6.

[6] Cic. In Verr. II, II, 49, 122.

92 simo secundo, hospes fuisse Hejorum, Mamertini autem populi patronus a Cicerone dicitur[1] nec summus vir[2] plane artibus caruisse oratoriis[3].

Filius alter Appi (22)

24. **Ap. Claudius Ap. F. C. N. Pulcher**

in ædilitate petenda repulsam tulit[4], postea autem hunc honorem adeptus[5] prætor factus[6] proprætor a Sulla anno
87 sexcentesimio sexagesimo septimo Nolam obsidenti præfectus est exercitui[7], quem L. Cornelius Cinna corrupit Romam tentaturus[8], postquam jam per tribuni cujusdam plebei lationem imperium abrogatum est Appii, qui tunc exulatum iisse videtur[9] et anno insequenti non magis ob hanc rem quam ideo, quod tabulæ ejus prætoris negligentius asservatæ erant[10], eum "avunculum suum" in recitando senatu præteriit L. Philippus Marcius censor[11]. Consul fac-
79 tus est Claudius anno septingentesimo septuagesimo quinto dictatura se abdicante Sulla[12] et per annos insequentes bel-

[1] Ibid. IV, 3. 6.

[2] Cfr. Momms. R. F. I, p. 315.

[3] Cic. Brut. 45, 166.

Initio belli servorum Claudius quidam Pulcher legatus (Liv. ep. XCV) aut Clodius prætor (Plut. Crass. 9, Orosius V, 24) aut Clodius Glaber (Flor. III, 2) res parum feliciter gessisse dicitur. Huic re vera fuisse Glabro cognomen Mommsen prodidit (R. G. III, p. 84) quamobrem patriciorum ad numerum Claudiorum ascribi non debuit.

[4] Cic. Pr. Planc. 21, 51 "vivo fratre suo C. Claudio" ubi nunc cum Borghesio "fratre" pro "patre" legimus. (Cfr. Momms. C. I. L. I, p. 448; Or. Onom.)

[5] Vide n. 6 p. 64.

89 [6] anno 665. Or. Onom.

[7] Momms. R. G. II, p. 262.

[8] Liv. ep. LXXIX.

[9] Cic. De dom. 31, 83. Cfr. Lange R. A. II, p. 712, III, p. 129.

[10] Cic. Pro Arch. po. V, 9. Lange R. A. III, p. 136.

[11] Cic. De domo, 32, 84.

[12] App. B. c. I, 103: Orosius V, 22. Cfr. Lange R. A. III, p. 169, Momms. R. G. II, p. 367.

lum Scordiscis, populo Thraco, intulit secunda fortuna usus[1]
et Romæ anno septingentesimo septuagesimo septimo in- 77
terrex proditus[2] in provinciam revertisse videtur, ubi mortuus est[3].

Appius tres filios duasque, vel potius tres filias reliquit[4].

Consulem anni sexcentesimi undecimi duas quoque filias habuisse constat, quarum altera

25. **Claudia**

virgo vestalis erat, altera

26. **Claudia**

Ti. Graccho nupta.

Filius alter C. Claudii censoris (20)

27. **C. Claudius C. F. Ap. N. Pulcher**

consul erat anno a. u. c. sexcentesimo vicesimo quarto, quod 130
huic fastorum inscriptioni infuisse:

l. cornelius l. f. l. n. lentulus m. perperna -f- nepos.

Mommsen demonstravit[5], ita supplendum esse opinans:

L. Cornelius f. n. Lentulus, M. Perperna f. nepos vitio creatus abd. (vel in m. m. e.) in. e. l. f. e. C. Claudius C. f. Ap. N. Pulcher.

Utrum ad hunc et tribunum plebei anni sexcentesimi
vicesimi tertii Cn. Papirium Carbonem an ad Claudium con- 131
sulem anni sexcentesimi sexagesimi secundi et Carbonem 92

[1] Eutr. VI, 7; Florus III, 4; Liv. ep. XCI; Momms. R. G. III, pag. 41.

[2] Sall. Fragm. hist. I. Cfr. Lange R. A. III, p. 180.

[3] Eutr. Oros. ibidd. Momms. ibid. Borghesi, Oeuv. compl. V, pag. 317.

[4] Ter. Varro, De r. r. III, 16, 2.

[5] C. I. L. I, p. 446 sq.

cos. anni sexcentesimi undeseptuagesimi, aliorum, spectent verba Ciceronis in libri de legibus tertii capite undevicesimo, dijudicare non possum neque quidquam de eo præterea cognovimus.

Filius Gaï fuisse videtur:

28. Ap. Claudius Pulcher,

quem fuisse Cicero dicit[1] dicacem. Fieri potest, ut is fuerit tribunus ille militum, quem Appianus[2] narrat in Janiculo præfuisse et beneficii accepti memorem Mario portas Gnæo
667/87 Octavio, L. Cornelio Cinna coss. aperuisse[3]. Verisimile est
Appium occisum esse in pugna ante ipsa moenia Romana
672/82 Cal. Nov. commissa C. Mario, Cn. Papirio coss.[4].

Huic filius, cui prænomen illud vetus Claudiorum inditum esse equidem libenter credere voluerim, fuisse videtur (Ap.?) Claudius Pulcher. Nam cum sciamus avum maternum Tiberii Cæsaris Claudium quendam Pulchrum jure adoptationis in familiam gentis Liviæ Drusorum transiisse[5], verisimillimum est hunc filium fuisse Appii (28). Quod enim cum habemus inscriptionem quandam[6] cujus verba hæc sunt:

[1] De or. II. 60, 246: "Ut ille, qui se vult dicacem et mehercule est, Appius, sed nonnumquam in hoc vitium scurrile delabitur." "Coenabo", inquit, "apud te", "huic lusco familiari meo, C. Sextio, "uni enim locum esse video."""

70, 284: "Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est præter exspectationem, cujus innumerabilia sunt exempla, vel Appii majoris illius, qui in senatu, cum ageretur de agris publicis et de lege Thoria et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent, ""Non est" inquit, ""Lucilii pecus illud, erratis"" (defendere Lucilium videbatur) "ego liberum puto esse, qua lubet, pascitur""", ubi major appellatus est, ne cum Appio cos. 675 confunderetur patruus.

[2] B. c. I, 68.

[3] Cfr Momms. R. G. II, p. 309.

[4] Plut. Sulla 29: Ἅμα δ' ἡμέρᾳ τῶν λαμπροτάτων νέων ἐξιππασαμένων ἐπ' αὐτὸν ἄλλους τε πολλοὺς καὶ Κλαύδιον Ἄππιον, εὐγενῆ καὶ ἀγαθὸν ἄνδρα κατέβαλε. Cfr Momms. R. G. II, p. 399, Or. Onom.

[5] Suet. Tib. 2.

[6] C. I. L. IX, 3360.

M. Livius Drusus Claudianus,
tum ex columbarii Liviæ Augustæ plurimis locis[1] cogno-
vimus ejus libertis esse prænomen Marci datum, necesse est
patri Claudiano hoc fuisse, quamobrem filius adoptatus est
hic a M. quodam Livio Druso. Ex eo autem, quod his
temporibus duo ejus nominis viri claruerunt, colligitur alterum
sibi adscivisse Pulchrum. Cum comperissemus M. Livium
censorem anno sexcentesimo quadragesimo quinto mortuum 109
esse[2], major erat natu, quam ut ab eo Claudius adoptari
posset, filii vero tribuni illius plebei anni sexcentesimi sexa-
gesimi tertii ætate facillime adduci possumus ut credamus, 91
eum mucrone sicarii percussum sibi in nomen assumpsisse
Pulchrum[3], qui postea igitur nominatus est

29. M. Livius Drusus Claudianus.

Fuisse is videtur, cui apud Ciceronem Pisaurensi vocato
destinaretur legatio quædam[4]. Prævaricationis accusatus
anno a. u. c. septingentesimo a. d. V Nonas Quinct.[5] crimen 54
vix effugit[6] defendente Cicerone[7] et quattuor post annos
de lege Scantinia facientem judicium irrisit Coelius[8]. Hortos
vendere voluisse Drusus dicitur anno septingentesimo nono 45
a Cicerone[9] et duo post annos suasit, ut legiones quarta
Martiaque D. Bruto imperatori darentur[10], atque a trium-
viris proscriptus post pugnam Philippensem amissam mor-
tem sibi ipse conscivit[11].

[1] V. g. C. I. L. VI, 2: 3930 "M. Livius", 3931 "M. Livii", 3939 "M. Livius".

[2] C. I. L. I, p. 430.

[3] Cfr Nipperdey ad Tac. V, 1, Borghesi, Oeuvres compl. V, pp. 314—317.

[4] Ad. Att. II, 7, 3.

[5] Cic. Ad. Att. IV, 16, 5.

[6] ibid. 8. Cfr Lange, R. A. III, p. 348.

[7] ibid. 15, 9. Cfr Ad Q. fratr. II, 16, 3.

[8] Cic. Ad. fam. VIII, 14, 4.

[9] Ad Att. XII, 21, 2; 22, 3; 23, 3; XIII, 26, 1.

[10] Cic. ad Fam. XI, 19.

[11] Dio Cass. XLVIII. 44; Vell. Pat. II, 71.

Filiorum, quos tres prodidi fuisse Ap. Claudio consuli anni sexcentesimi septuagesimi quinti (24), maximus natu erat

30. **Ap. Claudius Pulcher,**

quem vicit Hortensius "adolescentem nobilem" reum facientem Terentium Varronem repetundarum ex Asia pecuniarum apud P. Cornelium Lentulum Suram prætorem, quem scimus
71. 80 consulem fuisse anno a. u. c. sexcentesimo octogesimo tertio et quæstorem sexcentesimo septuagesimo quarto, quare credibile est eum prætura functum esse anno fere sexcentesimo
74 octogesimo, quo ergo hanc causam egit Appius[1]. Cui, dum per annos insequentes L. Licinium Lucullum illum, qui sororem ejus in matrimonium duxerat[2], bello Mithridatico sequitur[3], ad Tigranem ab eo misso ducibus a rege datis infidis diu erranti ad postremum opera Syri liberti contigit, ut perveniret Antiochiam, ubi regem exspectaret. Tigranem dominum superbissimum multi oderant, quos eo interim spatio ad benevolentiam alliciebat Appius, fore ut iis opem ferret imperator pollicitus et apparatum barbarumque magnificentiam regis haud miratus postulavit, ut Mithridates, qui confugerat ad Tigranem, dederetur, quod ni fieret, bellum se regi denuntiare. Hic libertate illa loquendi Claudii perturbatus respondit tamen se socerum non esse traditurum, Lucullo insolenter scripsit, Pulchrum autem dona et humanitatem aspernatum redeuntem vidit[4]. Postea aliquamdiu in Græcia erat Appius, ubi accepit servos, quos miserat Publius frater[5], ne quæstione habita de iis sacrilegii reus

[1] Cfr Pseud. Asc. in Div. Ciceronis in Q. Cæcilium, Lange R. A. III, pp. 171, 186, 199, 233, Momms. R. G. III, p. 185. Cum constet Suram
63 senatu motum postea anno sexcentesimo nonagesimo primo iterum factum esse prætorem, fieri non posse videtur, ut tunc Terentium accusaverit Appius.

[2] Appius ait ipse apud Ter. Varr. R. R. III, 6, 8: "cum pauper cum duobus fratribus et duabus sororibus essem relictus, alteram sine dote dedi Lucullo".

[3] Cfr Momms. R. G. III, pp. 66, 68, Lange R. A. III, p. 205.

[4] Plut. Luc. 21.

[5] Vide 32.

condemnaretur[1], Romam autem reverterat anno sexcentesimo
nonagesimo primo, quo Cicero consul, cum Catilinæ conju- 63
ratos legatosque Allobrogum in senatu interrogaret, memoriam ejus rei publicis litteris consignandam curavit per illum et alios[2]. Cum alia domum abstulerat Appius tum ex sepulcro signum meretricis cujusdam Tanagreæ, quod statuam esse Libertatis simulans asportaverat sumptus faciens in ædilitatem, quam tunc appetivisse fertur[3] sed repudiasse cum 696
intellexisset se statim L. Calpurnio A. Gabinio coss. fieri 58
posse prætorem[4]. Quo in magistratu, cum de reditu Cicero- 697
ronis P. Cornelio Lentulo, Q. Cæcilio Metello coss. in senatu 57
ageretur[5] ante d. VIII Cal. Febr. et omnibus rationibus, ludificando, manibus armatorum hominum servorumque, impetu, vi, vulneribus, territando fratrem Tullium, cæde nocturna cum aliorum, tum tribuni plebei frustra impedire conaretur "gens Clodia"[6], ne exul revocaretur[7], solus inter collegas fratrem gladiatoribus comitatus[8] adjuvit, quare a Cicerone salse irrisus est[9] nec post reditum ejus inimicitias

[1] Schol. Bob. in Or. Cic. in Clodium et Curionem VI, 3.

[2] Cic. Pr. Sulla 14, 42. Cfr Lange R. A. III, p. 252; Momms. R. G. III, p. 188.

[3] Cic. De dom. 43, 111.

[4] Cic. ibid. 112.

[5] Cic. Pro Sest. 35, 75.

[6] Cic. ibid. 38, 81.

[7] Cic. 35, 75—7, 36, 78, 39, 85.

[8] Cic. ibid. 37, 85; Dio Cass. XXXIX, 7.

[9] "At vero ille prætor, qui de me non patris, avi, proavi, majorum denique suorum omnium, sed Græculorum instituto contionem interrogare solebat, velletne me redire et cum erat reclamatum semivivis mercennariorum vocibus, populum Romanum negare dicebat: is cum quotidie gladiatores spectaret, numquam est conspectus, cum veniret. Emergebat subito, cum sub tabulas subrepserat, ut ""mater te appello"" dicturus videretur. Itaque illa via latebrosior, qua spectatum ille veniebat, Appia jam vocabatur". (Pr. Sest. 59, 126.)

Ad quæ Schol. Bob.: "Deinde post hæc intulit versum de fabula Pacuviana, quæ sub titulo Kione fertur. In ea est quippe argumentum ita dispositum, ut Polydori umbra secundum consuetudinem scænicorum ab inferiore parte procedat et utatur hac invocatione matris suæ, quam

deposuit[1]; se tamen ei eas partes agere pæne coacto implacabilem non esse, nec per ipsum illud tempus animo infesto fuisse Cicero ipse scripsit[2].

56 Cum C. Julius Cæsar anno sexcentesimo nonagesimo octavo Lucæ esset, ad eum profecti sunt salutatum summi viri, Crassi, Pompeji, alii, inter quos et Appius, proprætor Sardiniæ, aliquamdiu moratus est[3], numerum explentes ducentorum; lictores aderant centum et viginti[4]. Consul creatus
54 anno septingentesimo cum L. Domitio[5] jam opera Pompeji[6] cum Cicerone conciliatus erat, id, quod hic ipse memoravit scribens hac de re certiorem Lentulum factum id non moleste ferre[7] se gaudere[8] laudans Appium[9] consulem familiariterque illudens[10]. Cum A. Gabinius de majestate et ambitu postularetur, ille comitia differre conatus est pecunia ab hoc accepta commotus pronuntiando se per totum mensem Februarium ex legibus Pupia[11] et Gabinia[12] quotidie senatum habiturum esse[13]. C. Pomptinio, qui prætura Cicerone consule functus huic conjunctissimus fuisse videtur, bello Allobro-

sordidatus et lugubri habitu, ut solent, qui pro mortuis inducuntur, filius implorabat". Cfr Hor.:

"non magis audierit quam Fufius ebrius olim,
cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis
'mater te appello' clamantibus." (Sat. II, 3, 60 sqq.)

Cfr Lange R. A. III, p. 309, 312 sq.

[1] Ad Att. IV, 2, 3; 3, 3, 4.

[2] Ad fam. III, 10, 8.

[3] Cic. Ad. Qu. fratr. II, 6, 6.

[4] Plut. Cæs. 21. Cfr Momms. R. G. III, p. 319, Lange R. A. III, p. 328.

[5] Dio Cass. XXXIX, 60; Cæs. De b. g. V, 1: "Lucio Domitio, Appio Claudio coss. discedens ab hibernis Cæsar in Italiam". Cfr Lange R. A. III, p. 342.

[6] Cic. Ex libr. inc. ad Brutum frgm. 6.

[7] Ad fam. I, 9, 4.

[8] ibid. 19.

[9] Pr. Scaur. 31.

[10] Ad Qu. fratr. II, 12, 1, 3.

[11] Lange, R. A. III, p. 191.

[12] Lange, R. A. II, pp. 390 sq.

[13] Cic. Ad. Qu. fratr. II, 13, 3; III, 2, 3.

gibus domitis rebusque in Gallia feliciter gestis triumphum petenti Claudius subvenit, adversantibus Catone et Servilio prætoribus et Q. Mucio Scævola tribuno plebei[1]. Magistratu abiturus turpe facinus commisit Pulcher pactus ut sibi collegæque candidati consulares Memmius et C. Domitius HS. "quadragena darent, si honorem adepti essent nec falsis testibus prolatis confirmassent legem latam esse curiatam et quas vellent provincias obtinere consules ornatas. Quæ cum in senatu recitavisset Memmius, ut fieret tacitum judicium, placuit, de quo tamen lex rogata est, nec patribus evenit, ut prohiberent, quominus res judicio permitteretur populi, apud quem comitiis vario prætextu dilatis cecidit[2]. Quæ omnia Pulcher ad eludendum collegam inimicum Cæsaris hoc auctore, quem paulo ante adierat, cujus rei causa Ahenobarbus postea cavillans in senatu ait Appium a Cæsare petivisse, ut fieret tribunus militum[3], molitus esse videtur[4]. His rebus gestis suo sumptu nec ulla lata lege curiata contendens prorogari ex lege Cornelia a senatu posse imperium[5], in provinciam profectus est Ciliciam, ubi ei per insequentes annos moranti Cicero misit epistolas, quas in librum tertium hujus ad familiares congestas habemus, quarumque in prima Pulchro blanditur, amicitiam testificatur, L. Valerium quendam jureconsultum commendat, quem fuisse poetam illum Catullum fuere, qui crederent[6]. Secundis litteris Tullius Appium certiorem fecit, futurum esse, ut provinciam post eum acciperet, familiaritatem commemoravit, benevolentiam sibi invocavit orans, ne quid prætermitteret, quod fieri successoris interesset. Ex eo, quod has epistolas Cicero Pulchro imperatori inscripsit, colligere possumus ita hunc in provincia

[1] Cic. Ad. Att. IV, 6, 2; Ad. Qu. fratr. III, 4, 6.

[2] Cic. Ad. Qu. fratr. III, 1 c, 5, 16; Ad Att. IV, 15, 7; 18, 2; 16, 6; Ad Qu. fratr. III, 2, 3, 3, 2. Cfr Lange R. A. III, pp. 344 sq. 350 sq.

[3] Cic. Ad. Qu. fratr. III, 15, 3.

[4] Cfr Lange R. A. III, pp. 344 et 345.

[5] Cic. ad Att. IV, 16, 12; ad Qu. fratr. III, 2, 3; ad fam. I, 9, 25. Cfr Lange R. A. III, pp. 359, 164, I, p. 410.

[6] Or. Onom.

esse appellatum, quæ res et affirmata est cistophoris Apamenis[1] et inscriptione epistyli Eleusine reperta[2]:

ap. claudiUs Ap. F. Pulcher Propylum Cereri
et proserpinæ Cos. Vovit imPerator coepit
pulcher clauDius. Et. Rex Marcius fecerunt ex testam.

et lapide Athenis effosso[3]:

Ο ΔΗΜΟΣ ΚΑΙ Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΥ ΠΑΓΟΥ
ΑΠΠΙΟΝ ΚΛΩΔΙΟΝ ΑΠΠΙΟΥ ΥΟΝ ΠΟΥΛΧΕΡ (sic)
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ.

Quibus autem rebus gestis hunc honorem adeptus sit Appius, non satis constat, nisi quod intelligi potest ex verbis Ciceronis[4]. Tertiis litteris Brundisio missis Cicero demonstravit opis indigere majoris provinciam, Appiumque eadem humanitate usus et de amore multa locutus mutuo obtestatus est et oravit, ne copias imminueret, quartisque ei officiosa urbanitate gratias egit propter Librum Auguralem ad se missum. In quinta epistola a Cicerone in itinere data ab Appio ille petivit, ut locum designaret, quo convenire possent. Sequentes litteræ discidium et dissensionem quandam habent, cum enim Cicero narrasset, se mutatis consiliis omnibus rationibus enisum esse, ut morem Appio gereret, scripsit nihil esse, cur se accusaret ipse, Appium vero, quod pollicitus, fore ut convenirent in locum certum, non adfuisset, sed Tarsum profectus munera sustinuisset proconsulis, cum sciret, sibi esse sucessum, se reprehendere, indignari cohortes tres esse abductas, petere ab eo illas ut traderet, cujus de opera non desperaret ipse; iter ita dirigere, ut se assequi, ubi vellet,

[1] Ap. Pulcher Ap. F. Pro Cos.
Pulcher Pro Cos.
ap. Pulcher Ap. f. Imp.
Pulcher Imp. (C. I. L. I, no. 526.)

[2] C. I. L. I, 619.

[3] ibid.

[4] Ad Att. V, 14, 1: "Tamen interea hæc mihi, quæ vellem afferebantur: primum otium Parthicum, dein confectæ pactiones publicanorum, postremo seditio militum sedata ab Appio stipendiumque eis usque ad Idus Quinct. persolutum.

ille posset. De quibus omnibus rebus Attico questus est Cicero addens res Ciliciæ esse afflictas; eas sibi esse sanandas[1]. In septimis litteris non tam procul res est ab aperta inimicitia, quam posse oriri Cicero tradidit ex eo, quod acerbe tulisset Appius a Cicerone legatos quosdam Appianos opere prohibitos esse nec concessum, ut tributa exigerent, nec sibi obviam ivissie successorem[2], sed sententiis aliquot philosophorum versuque Homerico relatis in fine epistolæ benignitatem testatus est. Hæc Attico etiam narravit[3] severum de statu provinciæ faciens judicium[4], laudans suas ipsius ei medendi rationes, quibus ab Appii institutis quam maxime discrepantibus offenderetur ille. Initio sequentis epistolæ Appio Romam jam regredienti missæ, criminationes inimicitiæ allatas aliquot repulit Cicero ostendens se oneribus levasse civitates, quæ laxamentum ipsæ flagitassent, nec quo deterior fieret auctoritas Appii, tum progrediens cum blandimentis declaravit, se nullo modo ejus lædendi causa legationes impedivisse quasdam, idque irridendum esse, quod quispiam putaret, edictum ad ejusmodi res spectasse, nec eum credere debere sermonibus illis iniquorum, nam ad se quoque venisse rumores, quorum fides nulla esset; liberalitatem Appii laudans conclusit gratias agens, quod certior factus esset de rebus urbanis, et ipse de suis narrans, quæ scire voluisset hic. Re vera Appium ministris imperii sui nimium indulsisse et concessisse, ut ad res privatas fungendas rei publicæ opibus ac viribus uterentur, apparet ex negotiis, quæ erant cum Salaminiis Scaptio, qui Bruti familiaris pecunias illis commodaverat, ad quas exigendas præfecturam adeptus ab Appio datas turmas equi-

[1] Ad Att. V, 16, 2, 4, 17, 6.

[2] 5: "Illud idem Pausania dicebat te dixisse: ""Quidni? Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obviam, Cicero Appio noluit?"" Quæso, etiamne tu has ineptias, homo — mea sententia — summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo urbanitatem, quæ est virtus, ut Stoici rectissime putant, ullam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus quam ornamenta virtutis existimas?"

[3] Ad Att. VI, 1, 2.

[4] Cfr Ad fam. XV, 4, 2.

tum habuerat, per quas foedissime vexaverat debitores[1] quamquam hac in re Bruto, qui per negotiatores illos jus ex syngrapha dixisset, morem gessisse solum videtur Appius[2]. Mox in gratiam cum hoc rediit Cicero maximam in nonis litteris scribens secum Appio intercessisse simultates illas sermonibus obtrectatorum, se autem semper officiis satisfecisse amici cognosse eum, cum in urbem pervenisset, et promittens suam numquam fidem defuturam, si necessaria fuisset. Romam revertens Claudius triumphum postulavit, quem adipiscendi spe ejus se Cicero lætari scripsit, orans ut omnia de re comperiret, et progrediens summa cum observantia ei gratias egit dicens studiis muneribusque ejus quibusdam se delectari et valde cupere eum eniti, ut sibi supplicatio quam honorificentissime quamque primum decerneretur[3]. Triumphum tamen non deportavit Pulcher, qua de re Cicero certior factus decimæ epistolæ principio eum hortatus est, ne exspectationem deceptam esse existimaret. Causas hujus rei Cælius tradens a Dolabella majestatis reum factum Appium confestim in judicium processisse auxilio nixum Pompeji omnibus innocentem esse eum credentibus[4] narravit Ciceroni, cujus operam Claudio imploravit, quam summo studio in rem contulisse se ipse ille dixit[5]. Crimen Appius propulsavit adjuvantibus Bruto genero et Hortensio[6]; reliqua epistola decima fidem amicitiæ promittens se omne laturum auxilium Cicero testificatus dixit se sperare fore ut censor crearetur Claudius. In litteris undecimis huic ille gratulatus est absolutionem, cujus se maximo gaudio affectum numquam dubitasse dixit, quin liberaretur Appius, laudavit ingenium ejus, quo abundans statum per epistolas ex-

[1] Cic. Ad Att. V, 21, 10; VI, 1, 6.

[2] ibid. 3, 5.

[3] Cfr Lange, R. A. III, p. 393.

[4] Ad fam. VIII, 6, 1. Cfr Lange, R. A. III, p. 397.

[5] Ad Att. VI. 2, 10.

[6] Cic. Brut. 64, 230; quem locum ad aliam causam (accusationem scilicet e lege Scantinia comparatam) pertinere videtur putare Orellius (Onom.).

pressisset omnium rerum, sibi mitti orationes confectas omnes
cupivit per jocum negans a se datas esse superiores epi-
stolas, nisi fuissent disertæ. In judicium de ambitu factum
etiam vocatus est Appius, cui absoluto Cicero in litteris
duodecimis gratulatus progrediens de rebus domesticis qui-
busdam suis, quas suspicatus est Appio ingratissimas esse,
nam Tullia sponsa tunc erat Dolabellæ[1], disseruit et con-
clusit se declarare quam diligentissime velle benevolentiam
et sperare, fore ut affinitate illa non susciperet novas simul-
tates Appii, quem valde se diligere eodem tempore Cælio
dixit[2]. Quod Cicero jam mittens epistolam undecimam puta-
vit censorem factum esse Appium, hic nondum assecutus
erat eum honorem, cujus rursus in tertia decima mentionem
fecit Cicero humanitate abundante. Censor creatus Claudius
anno septingentesimo quarto cum L. Calpurnio Pisone Cæ- 50
soniano controversiam mox habuit cum M. Cælio ædile cu-
ruli, quem per magistratum vexare conatus est, quod cum
eluderetur collega intercedente, Cælium accusavit lege Scan-
tinia, sed eadem ab hoc ipse reus factus est[3]. Censura
summa cum severitate functus est Appius, quare nomine
ejus usus est Horatius[4] ad quemlibet designandum hunc
magistratum austere agentem virum, senatores et equites
plurimos notavit, omnes libertinos ingenuosque multos, inter
quos erat Sallustius Crispus rerum ille scriptor, senatu movit,
C. Curionem quoque insectari voluit, id, quod impedivit Piso,
de tabulis et signis gravissime egit[5]. Quibus rebus eo com-
pulit multos, ut ad partes se applicarent Cæsaris[6], quocum

---

[1] Vide pag. 120.

[2] Ad fam. II, 13, 2.

[3] Ad fam. VIII, 12.

[4] Sat. I, 6 vv. 19–21:

"namque esto populus Lævino mallet honorem
quam Decio mandare novo, censorque moveret
Appius ingenuo si non essem patre natus".

[5] Cic. Ad fam. VIII, 13; Ad Att. VI, 9, 4; Ad fam. VIII, 17, 1; Dio Cass. XL, 63; Cfr Lange, R. A. III, pp. 397, 402 sqq.

[6] Dio Cass. ibid.; Cfr Lange, ibid., p. 402, II, p. 365.

19 ipse summas inimicitias gerens[1], cum anno septingentesimo quinto ad moenia urbis is accederet[2], fugit ex Italia[3], et in Græciam pervenit ad Pompejum, ubi Pythiam de fatis consuluit et, cum responsum esset nihil id spectare bellum ad eum Euboeæ coela obtenturum, in insulam illam trajecit, ubi ante pugnam ad Pharsalum commissam mortuus est[4]. In collegio angurum cooptatus esse videtur Appius jam admodum juvenis[5], horum de jure multa scripsit et in ea disciplina per totam vitam versatus est, Marcello non adsentiens, qui quoque vir harum rerum peritissimus erat[6]. Auspicia tanti æstimabat, ut censor C. Ateium notaret, qui ea ementitus esset[7], et superstitione omnino imbutus esse videtur, si, id, quod verisimillimum est, ad eum spectant verba quædam Ciceronis[8].

Exemplar nobis est Appius quam maxime insigne vitæ et cursus honorum iis temporibus viri nobilissimi, qui summo loco natus ad amplissimas pervenerit dignitates, in quibus fungendis non aliter se gesserit, quam ætatis ejus quivis homo. Crimen avaritiæ, quam in eo exprobrant novi scriptores[9], verbis nixum esse videtur Cælii, qui tunc illi erat inimicissimus[10], et Ciceronis[11], qui ea, ut ait ipse[12] subiratus scripsit; sua quoque ipsius in Cilicia administranda facere

---

[1] Cic. Ad Att. VIII, 15, 3.

[2] Cfr Momms. R. G. III, p. 384 sqq.

[3] Cic. Ad Att. IX, 1, 4; Cfr VIII, 3; Lange, R. A. III, p. 414.

[4] Val. Max. I, 8, 10. Orosius, VI, 15. Lucanus, Pharsalia V, 67—70, 120—236; Cfr Lange R. A. III, p. 437.

[5] Vide Momms. R. F. I, p. 90[38].

[6] Cic. De leg. 13, 32; De Div. II, 35, 75.

[7] Cic. De Div. I, 16, 29.

[8] Cic. ibid. I, 53, 132: "Nunc illa testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quæstus causa hariolantur, ne psychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere". Tusc. I, 16, 37: "Inde Homeri tota νεκυία, inde ea, quæ meus amicus Appius νεκρομαντεῖα faciebat."

[9] P. R. E. Drumann, G. R. II, p. 192.

[10] Cic. Ad fam. VIII, 12, 1.

[11] Ad Att. VI, 1, 2; Ad fam. XV, 4, 2.

[12] Ad fam. III, 9, 1.

conspicua voluit[1] merita dissimillima rationibus Appi, quem autem ut se ipsum medicum appellavit provinciæ[2]; scimus etiam Sardos eodem modo egisse in M. Aemilium Scaurum, quo gratiores se redderent Appio[3], et laudat Plutarchus integritatem hujus[4]. Paupertas ejus confirmata est nec solvendo fuisse videtur si a Cælio, aliis impudenter postulabatur pecunias, quæ petitæ majori dedecori essent illis quam ipsi[5]. Mores Appii depravatos esse non constat, nisi ex causa ejus de lege Scantinia dicta, quam autem verisimile est ex odio Cælii solo ortam esse. Laudibus etiam summis præterea semper extollere voluit Cicero Appium[6], quem et

[1] Qua de re Cicero ipse significanter disseruit Pr. Scaur. 14, 33: Successori successor invidit: voluit eum quam maxime offensum, quo magis ipsius memoria excelleret; res non modo non abhorrens a consuetudine, sed usitata etiam et valde pervagata".

[2] Ad Att. VI, 1, 2.

[3] Cic. Pr. Scaur. 16, 36.

[4] Luc. 21.

[5] Cfr Cic. ad. f. VIII, 12, 1.

[6] Pr. Sulla: 14, 42: At quos viros non solum summa virtute et fide, cujus generis erat in senatu facultas maxima, sed etiam quos sciebam memoria, scientia, celeritate scribendi facillime, quæ dicerentur, persequi posse: C. Cosconium, qui tunc erat prætor, M. Messalam, qui tunc præturam petebat, P. Nigidium, Appium Claudium."

XIII Phil. 14, 29: "si Appium Claudium pari nobilitate et voluntate præditum" . . .

Ad fam. III, 13: Quasi divinarem tali in officio fore mihi aliquando expetendum studium tuum, sic cum de tuis rebus gestis agebatur, inserviebam honori tuo. Dicam tamen vere; plus quam acceperas, reddidisti. Quis enim ad me non perscripsit te non solum auctoritate orationis, sententia tua, quibus ego a tali viro contentus eram, sed etiam opera, consilio, domum veniendo, conveniendis meis, nullum onus officii cuiquam reliquum fecisse. Hæc mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa, propter quæ hæc laborantur. Insignia enim virtutis multi etiam sine virtute assecuti sunt, talium virorum tanta studia assequi sola virtus potest. Itaque mihi propono fructum amicitiæ nostræ ipsam amicitiam, qua nihil est uberius, præsertim in iis studiis, quibus uterque nostrum devinctus est. Nam tibi me profiteor et in re publica socium, de qua idem sentimus, et in quotidiana vita conjunctum, quam his artibus studiisque colimus. Vellem ita fortuna tulisset, ut, quanti ego omnes tuos facio, tanti tu meos facere posses, quod tamen ipsum, nescio qua permotus animi di-

magnis oratoribus suæ ipsius ætatis adnumeravit[1]. Frater Appii erat

31. C. Claudius Pulcher,

id, quod Cicero commemoravit[2], qui etiam in oratione pro Sestio[3] dixit Claudium inimici sui tribuni plebei fratrem in exercitu præfecisse Cæsarem. Cum oratio illa habita sit
56 anno a. u. c. sexcentesimo nonagesimo octavo[4], non dubium est, quin exercitu, quem habuit in Italia Cæsar, designentur eæ copiæ, quas ipse tradidit[5] se in Italia conscripsisse et ex hibernis eduxisse. Quibus ex rebus colligi potuerit Pulchrum debere in numero legatorum illorum honore prætorio haberi, quos potestas nominandi Cæsari erat[6]. Prætor anni ejusdem Publio fratri succucurrit impedienti, ne tabulæ ahenæ, quibus inscripta erat lex de exilio Ciceronis, e Capitolio auferrentur[7]. Asiam sortitus est provinciam, ubi omnibus acceptissimus fuisse videtur[8], cui rei mirifice repugnat, quod post reditum in patriam de repetundis a Servilio postulabatur Gaius, quam quæstionem ille, opinor, movit exprimendæ pecuniæ causa, quam conterritus proprætor numeravit, ne in judicium res adduceretur. Damnatus tamen[9] esse videtur. Ab Asconio in orationem Ciceronis pro Milone[10], quæ tamen non habita, sed aliquanto post defen-

vinatione, non despero. Sed hoc nihil ad te nostrum est onus. Illud velim sic habeas quod intelliges hac re novata additum potius aliquid ad meum erga te studium, cui nihil videbatur addi posse, quam quidquam esse detractnm", alibi plurimis locis.

[1] Brut. 77, 267.

[2] Pr. Scaur. 15, 33. Cfr Asc. in Or. pr. Mil.

[3] 18, 41.

[4] Quo Cicero ad Quintum fratrem (II, 4, 1) hæc scripsit: "Sestius noster absolutus est a. d. V Id. Mart."

[5] De b. g. I, X.

[6] Cfr Momms. R. G. pp. 214 sq. 249 sq.

[7] Dio Cass. XXXIX, 21. Cfr Lange R. A. III, pp. 317, 333.

[8] Cic. Pr. Scaur. 15. 35.

[9] Cic. Ad fam. VIII, 8, 2. Cfr Lange, R. A. III, pp. 346, 387.

[10] Or. p. 35: "C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii."

sionem elucubrata est, mortuus jam esse dicitur C. Claudius, cum interficeretur Publius, id, quod parum credibile est[1]. Frater horum ille erat

32. P. Clodius Pulcher

cujus ita scribere solemus nomen, quod tamen sæpissime eandem litterarum habet appellationem ac Claudius, neque quidquam significat aliud nisi eos, qui gentis Claudiæ familiæ cujusdam fuerint, quare etiam invenimus Græcos auctores nunc Κλώδιον, nunc Κλαῦδιον scripsisse. Ut frater Appius, ita Publius Lucullum secutus est bello Mithridatico[2] et cum hic militibus suis, qui non tam multo ante[3] C. Flavio Fimbria duce Flaccum imperium deponere coactum occiderant, invisus esset, Publius eos militiæ duritiam miseratus clandestinis sermonibus ad seditionem faciendam commovere conatus est, indignatus, quod honore non omnibus anteiret[4] et cupidine insita rerum novandarum adduc-

[1] Licet enim ex loco Asconii colligi possit, tunc diem jam obiisse Gaium, quamquam mihi quidem illud "fuerat" tam bene declarari posse videtur ex Publii quam Gai morte, fieri tamen non potest, quin, si verbo Ciceronis (Pr. dom. 10, 26) "fratricida" adducti credamus Gaium a Publio occisum esse, quod nullo modo exstat e verbis oratoris (ibid. 45, 118) "providisti" (sc. Publi) "ne frater te accusare possit", existimemus quoque Clodium patrem etiam et sororem ("patricida, sororicida") interemisse, id, quod scimus neminem umquam putavisse. Equidem ergo mihi persuasi Gaium damnatum (judices ejus nominantur a Cælio) in exilium ivisse, per cujus spatium Servilius postularetur ab Appio C. f. pecunias (vide pag. 109) sed ab Antonio anno septingentesimo quinto restitutum esse. Cfr. Cic. ad fam. XI, 22; Lange R. A. III, p. 420; Willems, Le sén. d. l. rép. rom. I, p. 477, Momms. C. I. L. I, p. 182 cum n. 49

[2] Quod tradidit Drumann (G. R. II, pag. 200) quem secutus est Ihne (R. G. VI, p. 86) ab illo legationem ductam esse, quam suscepit ad Tigranem frater Appius, ut Mithridates dederetur, non est, cur hæc verbis Plutarchi repugnantia vera esse putemus.

[3] Cfr. Momms. R. G. II, p. 297; Ihne R. G. V, pp. 336 sq.

[4] Plut. Luc. 34, cfr. Momms. R. G. III, p. 74; Ihne R. G. VI, p. 96; Lange R. A. III, p. 207.

tus, cum milites etiam lascivirent copia frumenti et nimis confiderent propter nuntios allatos appropinquantis M'. Acilii Glabrionis successoris Luculli[1]. Quamobrem timore hujus affectus Publius ad Q. Marcium Regem, cui altera soror ejus nupserat, proconsulem Ciliciæ[2] confugit et ab eo præfectus est classi, sed a piratis captus est, a quibus tamen mox de Pompejo veritis missus Antiochiam contendit, ubi rursus turbas efficiens pæne interfectus est[3]. Rex Cypri Ptolemæus, cum hac in re avaritia motus, missis duobus solum talentis[4] aut pecunia minore quam ut ea capere vellent piratæ, id, quod sibi esse dedecori Clodius putavit[5] huic non satis tulisset opis[6], poenas ei postea dedit regno privatus[7]. Hanc primam Clodii ætatem Cicero depinxit[8] obscænissima jactans convicia[9], inter quæ lenissimum ei intulit probrum dicens eum a Catilina accepisse pecuniam, "ut turpissime prævaricaretur" [10]. Postquam enim Romam
65 anno sexcentesimo undenonagesimo [11] revertit, Catilinam accusavit repetundarum, sed donis corruptus ita remisse causam egisse videtur, ut reus absolveretur[12]. Sequenti anno in

[1] Dio Cass. XXXVI, 14. Cfr. Momms. R. G. III, p. 77; Ihne R. G. VI, p. 166.

[2] Momms. R. G. III, p. 74; Ihne R. G. VI, p. 98.

[3] Dio Cass. ibid. 17. Cfr. Ihne R. G. VI, p. 293.

[4] App. B. civ. II, 23.

[5] Strabo, XIV, 6, 6.

[6] Dio Cass. XXXVIII, 30.

[7] Vide pag. 91.

[8] De har. resp. 20, 42.

[9] Ad quæ Drumann (G. R. II, p. 201 [49]) animadvertit, Ciceronem scivisse Publium tunc pro nummis corpus dedisse piratis, sed intelligere non possum, qui hoc comperire potuerit orator, et loco illo, quo nixa est sententia Drumanni (Cic. ad Att. I, 16, 5: "Nosti enim marinas") nunc legimus Marianas.

[10] Cfr. In Pis. 10, 23.

[11] "Torquato et Cotta coss." Asc. in or. in toga cand. Cfr. Momms. C. I. L. I, p. 541.

[12] Asc. ibid. et in or. pr. Mil. Cfr. Ihne R. G. pp. 203 sq. 293, Lange, R. A. III, p. 226.

Galliam cum L. Licinio Muræna profectus[1] brevi Romam regressus est Publius, de cujus per illud tempus sceleribus perfectis nefandis multa dixit Cicero[2], quæ tamen adeo modum transierunt, ut absurdissima et stultissima fierent, nec committere orator potuit, ut ex Catilinæ familiaribus eximeret[3] Pulchrum, quem etiam consiliis illius rei publicæ convertendæ interfuisse existimat Asconius[4], cum hæc verbis Plutarchi[5] falsa esse cognoverimus. Anno sexcentesimo
nonagesimo secundo, quo quæstor designatus erat[6], Clodius 62
flagitium illud commisit, de quo abundant testimonia auctorum. Nam cum domi Cæsaris, qui tunc prætor erat et pontifex maximus, a feminis Bonæ sacra Deæ, quibus severissime interdictum erat viris[7], fierent, Clodius cærimoniarum antistitis Pompejæ uxoris Julii amore flagrans vetito, adolescens adhuc imberbis habituque muliebri vestitu psaltriæ indutus occulte in ædes intravit, ubi ancilla eum accepit, a qua relictus, ut certiorem de adventu ejus faceret Pompejam, huc et illuc errans ab altera repertus est, quæ cum interrogaret, quid sibi vellet, voce marem eum esse cognovit et clamore sublato currens excitavit Aureliam, matrem Cæsaris, quæ Clodium in conclave quoddam abditum invenit et domo expulit[8]. Quoniam tunc nondum inierat Publius magistratum, verisimile est hæc acta esse initio mensis Decembris, et Calendis Januariis Attico rem narra-

[1] Cic. De har. resp. 20, 42. Cfr. Lange R. A. III, p. 267.

[2] ibid.

[3] De har. resp. 3, 5: "In me fuit eodem animo, quo etiam ejus familiaris Catilinæ, si vicisset, fuisset",

Pr. Mil. 14, 37: "Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit."

[4] In or. pr. Mil.

[5] Κικέρων δ' ἦν μὲν αὐτοῦ (Κλωδίου) φίλος καὶ τῶν περὶ Κατιλίναν πραττομένων ἐχρῆτο προθυμοτάτῳ συνεργῷ καὶ φύλακι τοῦ σώματος (Cic. 29).

[6] Asc. in Or. pr. Mil. Orell. p. 52.

[7] "testiculi sibi conscius unde fugit mus" (Juv. Sat. VI, v. 339).

[8] Plut. Cæs. 9, 10. Cic. 28; Dio Cass. XXXVII, 45, Liv. ep. CIII,

vit Cicero per epistolam[1] nec multo post addidit[2] sacrificiis instauratis a virginibus Vestalibus illam ad senatum venisse permissamque esse pontificibus, qui nefas esse decrevissent, Cæsaremque jam uxori nuntium remisisse[3]. Tunc consules M. Pupius Piso et M. Valerius Messala, quorum ille amicus erat Clodii, in quem voluntas hujus non tam propensa fuisse videtur, rogationem, Catone instante, Cicerone, ut ait ipse[4], demitigato quotidie, tulerunt, ut prætor judices legeret[5], quam credunt nostræ ætatis scriptores[6] ita ab optimatibus comparatam esse, quo facilius damnaretur Pulcher, quemadmodum, ut reus liberaretur, enisi sunt triumviri. Contione enim habita de lege, cui restitit Fufius tribunus plebei, nihil certi rogatus sententiam respondit Pompejus nec postea in senatu elocutus est, quæ vellet, Crassusque nihil dixit nisi laudans Ciceronem consulatumque ejus, et Cæsar re plane abstinuit. Cum suffragium iniret populus, adjutores, qui Clodio erant, pontes tenebant, nec cuiquam tabella *uti rogas* inscripta dabatur, quo factum est, ut opera maxime Hortensii et Catonis concursu optimatium dimitterentur comitia, et senatus vocaretur, in quo quadringenti homines censebant cohortandum esse populum, ut acciperet rogationem, adversantibus ad quindecim, contiones Clodio habente, in quibus illusit in summos viros nec tamen impedire potuit, quominus statueret senatus, ne quid prius ageretur, quam lex lata esset[7]. Cesserunt autem patres[8] et Fufius[9] legem tulit, ut judices rei sorte

App. B. c. II, 14. Cfr. Lange R. A. III, pp. 268 sq. Ihne R. G. VI, p. 294.

[1] I, 12, 3.

[2] 13, 3.

[3] Plut. ibidd. Dio Cass. ibid. Suet. Cæs. 6.

[4] Ad. Att. ibid.

[5] Cfr. Lange R. A. III, p. 268, II, p. 699; Ihne R. G. pp. 295 sq.

[6] Lange, Ihne.

[7] Cic. Ad Att. I, 14. Cfr. Lange R. A, III, p. 269; Ihne R. G. VI, p. 296 sq.

[8] Cic. Pr. Mil. 5, 13. Cfr. Schol. Bob. Orell. p. 280, Lange. Ihne ibid.

[9] Ihne ibid. Lange ibid. et II, p. 699.

assignarentur, quos irrisit Cicero injuria læsus a Publio, qui paulo ante in contione eum comperisse omnia dixisset verba cavillans in consulatu facta, qua ira commotus postea omni modo ei nocere ille conatus est. Cum causa diceretur, testis productus est Cæsar, qui tamen se nihil scire dixit, et interrogatus, cur uxorem repudiasset, eam ne suspectam quidem posse haberi respondit[1], nec Clodium agnoverant mater ejus Aurelia et Julia filia, quæ rem Cæsare invito agi compererant, quare reus ostendere voluit se non illa nocte fuisse Romæ, sed cecidit testimonio Ciceronis dicentis se una cum illo fuisse tribus horis[2] ante quam, ut is ipse ait, Interamnæ versatus esset. Reliqua tunc erat ratio judices corrumpendi, qua usus est Clodius non solum opera Crassi pecunias largiens, sed etiam voluptatibus pelliciens, quibus rebus effecit, ut absolveretur sententiis una et triginta, cum viginti quinque condemnarent[3] sæptis judicibus præsidio, ne, ut ait Q. Lutatius Catulus[4], eriperentur nummi. Hac in re clarissima referenda multa addiderunt Dio Cassius et Plutarchus scribentes Ciceronem invitum ab uxore Terentia Pulchri inimica Clodiæ causa sororis testimonium dicere coactum esse, seditionis antea excitatæ accusato Publio alia etiam crimina illata esse, Lucullum jure jurando firmasse Clodium cum sorore incestum commisisse[5]. Seneca rem protulit[6] ad ostendendum non magis sua ipsius ætate quam illa depravatos esse mores et allatis verbis Ciceronis[7] summa eloquentia disserens demonstravit numquam illa ratione judices corrumpendi factum esse turpius quidquam, atque ut Juvenalis lepidissime de sacrilegio

---

[1] Plut. Cæs. 10, Cic. 29, Dio Cass. ibid. 45, Suet. Cæsar 74.

[2] Cic. Ad Att. II, 1, 5.

[3] „ „ „ I, 16; Plut. ibid. Dio Cass. ibid. et 46, Val. Max. VIII, 5, 5, IX, 17; App. B. c. II, 14. Asc. Orell. p. 49, Schol. Bob. p. 330. Ihne R. G. VI. pp. 298 sq. Lange R. A. III, pp. 269 sq.

[4] Cic. Ad Att. I, 16, 5; Plut. Cic. 29; Dio Cass. ibid.

[5] Plut. Cæs. 10. Cfr. Cic. 29. Dio Cass. ibid. 46.

[6] ep. XVI, 2.

[7] Ad Att. I, 16, 5.

jocans[1] scripsit, ita non ejusmodi verba sunt, ut referri possint. Plurimis locis[2] rem Cicero postea commemoravit Clodium cavillans, mentitus se, cum committeretur scelus, æque ac postea hunc detestatum esse, Bonam appellatam esse Deam declarans, quod Clodio ignovisset, popularem factum esse eum dicens a muliebri vestitu, flagitio, stupro, contumelias gravissimas semper intorquens, quibus adaugebat odium, in quo apud Publium erat, quem sibi hostem quam maxime implacabilem dicacitate parabat, cujus inimicitia et exilio et summis malis doloribusque afficeretur. Interea quæsturam inierat Pulcher, qua præditus in Sicilia degebat, quamquam tunc quoque Ciceronem vexare conatus est[3] et Romam cum revertisset, ad plebem transire statuerat[4] atque ea ætate L. Calpurnium Pisonem accusavisse repetundarum videtur, quæ tamem causa subito coortis cum imbre maximis tempestatibus judicata non est[5]. Cum multa obstarent, quominus transduceretur Clodius, anno sexcente-
60 simo nonagesimo quarto primo conatus est opera Herennii tribuni plebei[6] nec adversante consule Q. Metello Celere[7] lege centuriata[8] ad plebem transire, tum efficere, ut patricio liceret tribuno fieri plebei[9], sed intercesserunt collegæ Herennii[10]. Tunc Publius duabus rationibus uti potuit[11]. Sacrorum detestatione facta pari et æquo jure cum plebe vivens tribunatum petivit, quem tamen non adeptus est

[1] Sat. VI, vv. 337—341.

[2] De domo 39, 104; 40, 105; De har. resp. 3, 4; 5, 8; 17, 37; 21, 44; Pr. Sest. 54, 116; Pr. Mil. 22, 59; 27, 72; In Clod. et Cur. V, 1—VII, 1 ad quæ Schol. Bob.

[3] Cic. De har. resp. 20, 43; Or. in Clod. et Cur. III, 2, ad quam Schol. Bob. in fine arg. Cfr. Lange R. A. III, p. 275, Ihne R. G. p. 340.

[4] Cic. Ad Att. II, 1, 5.

[5] Val. Max. VIII, 1, 6. Cfr. Lange R. A. III, p. 288.

[6] Cic. Ad Att. I, 18, 4.

[7] Cic, Ad Att. I, 18, 5.

[8] Cfr. Lange R. A. III, p. 275, II, p. 680.

[9] Dio Cass. XXXVII, 51, 1.

[10] ibid. Cic. Ad Att. I, 19, 5.. Cfr. Lange R. A. III, p. 275; Ihne R. G. VI, p. 341.

[11] Hac de re difficillima ad dijudicandum summa inter doctissimos

impediente Metello, qui sibi persuasum esse dixit, non more majorum transiisse eum[1]. Qui tamen sequenti anno opera Cæsaris pontificis maximi et auguris Pompeji lege curiata de arrogatione lata a P. Fontejo homine de plebe minore natu adoptatus et confestim emancipatus traductus est[2]. Inter spem metumque suspensus tunc ad Atticum scribebat Cicero, putans ad Tigranem esse Clodium iturum[3], optans, ut fieret is tribunus, quo citius ex Epiro reverteretur Atticus[4], modice se minis Clodii affici dicens[5], auxiliis fidens Pompeji[6], cui dextera data promisisset Publius, se nihil facturum contra voluntatem ejus, qui semper Ciceronem tueri vellet[7]. Tribunus plebei tamen creatus est Clodius anno a. u. c. sexcentesimo nonagesimo sexto adjuvante Cæsare, 58
qui existimaret illum memorem se præbiturum esse officiorum, quæ reo tributa essent, nec invito Pompejo et ad Ciceronem vexandum[8], qui tamen speravit fore ut casum vitaret et concurreret tota Italia, si dies dicta esset, ad gloriam amplificandam, omnia omnibus pollicentibus fretus opera tribunorum plebei aliquot et Domitii, Nigidii, Mem-

homines dissensio est. Lange enim contendit (R. A. I, p. 137 sq.). Publio necesse fuisse et sacra detestari et ab homine de plebe adoptari, fieri autem utraque ratione sola potuisse, ut ad plebem transiret, demonstravit Mommsen, cujus sententiam maxime commotus causis, quas R. F. I, pp. 124 sq., 399 sqq. protulit, secutus sum.

[1] Dio Cass. ibid. 2.

[2] Dio Cass. XXXVIII, 12; Cic. De Dom. 13, 34—14, 38, 15, 39, ubi contendit adoptationem non pontificio jure esse factam et de coelo servatum die, cum lex curiata ferretur, et tribunatum illum eversum. (Cfr. Dio Cass. XXXIX, 11) 29, 77; De har. resp. 23, 48; De prov. cos. 17, 42, 19, 45, alibi. Suet. Cæs. 20, Tib. 2; Cfr. Lange R. A. III, p. 284; Ihne R. G. VI, pp. 340 sq. Momms. R. G. III, p. 218.

[3] II, 7, 2, 3.

[4] 15, 2.

[5] 19, 1 & 4.

[6] 20, 2, 21, 6.

[7] 22, 1.

[8] Dio Cass. XXXVIII, 12; App. B. c. II, 14; Plut. Cic. 30, Cæs. 14, Cato 33; Cfr. Lange R. A. III, p. 296. Ihne R. G. VI, p. 343; Momms. R. G. III, pp. 218, 308 sq.

nii, Lentuli prætorum, Cæsaris etiam Pompejique promissis satis fidens[1]. Publius confestim leges quattuor maximi momenti tulit, ne pretio emeret plebs frumentum, ne cui obnuntiare aut intercedere aut servando de coelo impedire comitia liceret, omnibus autem diebus fastis legem ferri, ut collegia vetera restituerentur novaque conscriberentur, ne quem censor nisi accusatum et concedente collega movere vel notare posset[2]. Quam, ut ait ipse[3], anni pestem et domesticam labem sæpissime commemoravit semperque acerrime judicavit Cicero, questus quintam prope partem vectigalium sublatam esse[4] et universam rempublicam deletam[5], leges omnes eversas ac perditas civitatis[6], certissima subsidia reipublicæ contra tribunicios furores[7] leges Aeliam et Fufiam maxime salutares[8], muros tranquillitatis atque otii[9] corruisse, collegia non ea solum, quæ senatus sustulisset, restituta, sed innumerabilia quædam nova ex omni fæce urbis ac servitio concitata[10], veterem illam magistram pudoris et modestiæ, illud morum severissimum magisterium[11], censuram sublatam[12] et exstinctam esse[13]. Quibus omnibus rebus perfectis, addita lege altera frumentaria, qua egentissimo cuique frumentum dividendi cura Sex. Clodio tradita

[1] Ad Q. fratr. I, 1, v, 16.

[2] Dio Cass. XXXVIII, 13; Cfr. Asc. in Or. in Pis. Orell. p. 9, Schol. Bob. in Or. pr. Sest. p. 300. Cfr. Lange R. A. III, pp. 297 sq. I. pp. 342, 361, 367, 820, 919, II, pp. 365, 478 sq. 521, 656, 659, 672, 693; Ihne R. G. VI, pp. 344 sqq.

[3] Pr. Sest. 25, 55, 56.

[4] ibid. 55.

[5] ibid. 15, 33.

[6] De prov. cons. 19, 46.

[7] Or. cum sen. gr. egit 5, 11. Cfr. In Vat. 7, 18.

[8] De har. resp. 27, 58.

[9] In Pis. 4, 9.

[10] ibid.

[11] De prov. cons. 19, 46. Cfr. De dom. 51, 131.

[12] In Pis. 4, 9. Cfr. Pr. Sest. 25, 55.

[13] De har. resp. 27, 58.

est [1], Publius impetum fecit in Ciceronem, quem Cæsar et Pompejus summotum voluerunt, rogatione lata, ut si quis injussu populi civem Romanum necaret aut necavisset, ei aqua et igni interdiceretur [2]. Timore perculsus statim veste mutata Cicero auxilium implorabat omnium [3], et adiit consules, quorum alter nitidissimus, alter incultus et squaloris fere plenus eum accepit, neuter quærimonias admisit [4]. Gabinius etiam obstitit, ne in senatum equites mitterent, qui pro Cicerone laborarent [5], et cum L. Ninnius tribunus plebei tulisset, ut quemadmodum fecisset tota Italia, vestem senatus mutaret, consulto cum collega restitit [6], atque relegavit L. Aelium Lamiam equitem Romanum, qui omni amore enisus esset, ut Ciceronem juvaret [7]. Interea Clodius contiones habuit, in quibus Hortensium, Curionem, C. Vibienum, qui equitibus Ciceroni subvenientibus ipsi senatores præfuissent, crudeliter violavit [8] et in concilium extra muros in circum Flaminium convocatum Cæsarem admisit [9] dicentem se antea poenam Catilinæ conjuratorum non probasse, tunc autem nolle quemquam ejus rei accusari [10], nec

[1] Cic. De dom. 10, 25.

[2] Vell. Pat. II, 45; Dio Cass. XXXVIII, 14, 4. Cfr. Lange R. A. III, p. 300, II, pp. 564, 700; Ihne R. G. VI, p. 346.

[3] Plut. Cic. 30; Dio Cass. XXXVIII, 14, 7; Cfr. Lange R. A. III, p. 301, Ihne R. G. VI, p. 349.

[4] Cic. Pr. Sest. 8, 18 & 19. Cfr. 11, 26; In Pis. 6, 12.

[5] Dio Cass. XXXVIII, 16. Cfr. Plut. Cic. 31, Cic. Pr. Sest. 11, 25 sq.

[6] Cic. Pr. Sest. 11, 26, 12, 27 & 28, 14, 32; Or. cum sen. gr. egit 5, 12, 12, 31; De dom. 43, 113; In Pis. 8, 17 & 18, ad quæ Schol. Bob. pp. 249, 296. Pr. Planc. 35, 87.

[7] Cic. Pr. Sest. 12, 29; Or. cum sen. gr. egit 5, 12; In Pis. 27, 64; Ad fam. XI, 16, 2; XII, 29, 1. Cfr. Asc. in or. In Pis. Or. p. 10, Schol. Bob. in or. pr. Mil. p. 271 sq. Lange R. A. III, pp. 301 sq. Ihne R. G., VI pp. 348 sqq.

[8] Dio Cass. XXXVIII, 16; Cic. Pr. Mil. 14, 37, De dom. 21, 54, 42, 110.

[9] Dio Cass. XXXVIII, 17, 1; Cic. Or. cum sen. gr. egit 13, 32, Pr. Sest. 18, 41.

[10] Dio Cass. XXXVIII, 17, 2; Or. cum sen. gr. egit 6, 13.

dissimulavit se in Cicerone insectando opera uti triumvirorum[1], id, quod res gesta et verba horum affirmabant[2], quocirca Cicero omnibus rebus frustra tentatis exulatum ivit[3]. Perlata lege illo ipso die domus Ciceronis incensa est, villa direpta, partiebantur secum consules bona ejus[4], vexabantur sui[5], neque multo post rogationem tulit Clodius, ut Ciceroni aqua et igni interdiceretur, quod falsum senatus consultum tulisset[6], additis condicionibus severissimis, quibus impeditum est, quominus ne in Sicilia quidem degeret exul[7]. Jam autem ut sibi tanto studio adessent consules, perfecerat Publius legibus suis de provinciis et earum permutatione latis, ut Gabinius Syriam, Macedoniam Piso obtineret, jus de creditis pecuniis et inter populos liberos utrique dicendi potestas esset, exercitibus, ærario, omnibus denique rebus, quemadmodum vellent, uterentur ambo[8]. Ad Catonem, quem quoque relegatum vellent triumviri, summovendum, leges tulerat Clodius, ut in provinciam redigeretur insula Cyprus et bona regis Ptolemæi publicarentur, et ut Cato eo mitteretur quæstor imperio præditus prætorio, qui quoque exules Byzantinos domum eorum reduceret[9]. Tur-

[1] Cic. pr. Sest. 17, 39, De har. resp. 22, 47.

[2] Dio Cass. XXXVIII, 17, 3.

[3] ibid. 4—6; Liv. ep. CIII. Cfr. Lange R. A. III, p. 302, Ihne R. G. VI, p. 351.

[4] Dio Cass. ibid. Cic. Or. cum sen. gr. egit 7, 18; De dom. 24. 62, Pr. Sest. 24, 54, In Pis. 11, 26, Pr. Planc. 40, 95, Pr. Mil. 32, 87. Cfr Lange R. A. III, p. 303, Ihne R. G. VI, p. 359.

[5] Pr. Sest. 24, 54; De dom. 23, 59, Pr. Mil. 32, 87.

[6] Dio Cass. ibid. Plut. Cic. 32; Cic. De dom. 18, 47, 19, 50.

[7] Cfr. Lange R. A. III, p. 303 sq., II, p. 701, Ihne R. G. VI, pp. 351 sqq.

[8] Plut. Cic. 30; Aur. Vict. De vir. ill. 81; Cic. Or. cum sen. gr. egit 7, 18, Or. cum pop. gr. egit 5, 11 De dom. 9, 23—10, 21, 55, 23, 60, 26, 70, 47, 124; De har. resp. 27, 58; Pr. Sest. 10, 24, 14, 33, 25, 55, In Vat. 15, 36, De prov. cons. 2, 3, 4, 7, In Pis. 16, 37, 24, 57. Cfr. Lange, R. A. III, pp. 300 sq. 303, II, p. 707; Ihne R. G. VI, p. 350.

[9] Dio Cass. XXXVIII, 30, Plut. Cato 34, 45, Cæs. 21, Pomp. 48; App. B. c. II, 23, Vell. Pat. II, 45, Liv. ep. CIV, Flor. III, 9, 3 sq. Aur. Vict. De vir. ill. 80. Cic. De dom. 8, 20, 9, 21, 22, 20, 52, 53, 25, 65,

bam atque confusionem omnium rerum fecisse Publium per eam ætatem cum sua tum aliorum causa, quorum pecunia corrumperetur, a Cicerone dictum est[1], et tanta in potentia erat, ut Pompejum quoque aggredi auderet e custodia erepto Tigrane, quem post triumphum L. Flavio prætori mandaverat Pompejus; cum fugientem persequerentur via Appia, in Sex. Clodium satellitesque armatos Publii inciderunt, a quibus pugna atroci orta M. Papirius eques Romanus cum comitibus plurimis occisus est; Flavio ægre contigit, ut effugeret[2]. In legibus etiam ferendis, quas promulgabat pecunia et cupidine adductus[3] Pompejum offendit Clodius[4], quæ constituerat ille per bella[5], tollens[6]. Tunc ille ab hoc alienatus[7] sibi conciliavit Gabinium consulem[8], cui mox certamina et contentiones erant cum Publio, in quibus bona illius hic consecravit, ejus autem L. Ninnius[9], sed Clodius adeo fuisse viribus inferior videtur, ut pæne interficeretur nec ludos M. Aemilii Scauri spectatum ire auderet[10]. Hac ætate rogationem quandam de libertinorum suffragiis laturus esse videtur, qua in perferenda versato obstabant optimates[11], nec multas alias ejus tribuni leges cognovimus acceptas, nisi de scribis quæstoriis quandam, quæ hos in provinciis quæstum

---

50, 129; De har. resp. 27, 59; Pr. Sest. 26, 57, 27, 59, 28, 60, 29, 62, ad quæ Schol. Bob. Orell. pp. 301 sqq. Cfr. pag. 82, Lange R. A. III, pp. 300, 305; II, p. 683, Ihne R. G. VI, pp. 354 sqq. Ad hæc omnia Momms. R. G. III, pp. 218 sq.

[1] De dom. 30, 81, 50, 129.

[2] Dio Cass. XXXVIII, 30; App. B. c. II, 15, Plut. Pomp, 48; Cic. De dom. 25, 66; Pr. Mil. 6, 18, 14, 37, ad quæ Asc. Or. p. 47, Schol. Bob. p. 284.

[3] Cic. De dom. 10, 24, Pr. Sest. 30, 26.

[4] Plut. Pomp. 48.

[5] Plut. Pomp. 38.

[6] Plut. Cic. 33.

[7] Cic. De dom. 10, 25, Pr. Sest. 31, 67.

[8] „ „ „ 25, 66, In Pis. 12, 27.

[9] Dio Cass. XXXVIII, 30, 2. Cic. De dom. 47, 124, 48, 125.

[10] Cic. Pr. Sest. 54, 116.

[11] Asc. in Or. Cic. Pr. Mil. Orelli p. 52, Schol. Bob. p. 346. Cfr. Lange R. A. I, p. 519, II, p. 659, III, p. 308.

sibi ex negotiis comparare vetuit[1], alteram de injuriis publicis Anagnini cujusdam Menullæ causa latam[2], de rege Dejotaro et Brogitaro tertiam, qua donis hujus corruptus illi regnum et Bonæ Deæ sacerdotium detraxit[3]. Cum igitur in invidia esset Clodius Pompeji[4], mentio facta est de Cicerone revocando[5], et comitiis factis consules ambo, prætores excepto fratre Publii Appio[6] omnes benevolentia exulem complexi sunt, cui tribuni plebis omnes etiam consuluissent, nisi Q. Numerius Rufus et Sex. Atilius Serranus a Clodio empti essent[7]. Nec autem per servum interficere Pompejum conando nec domum ejus obsidendo, ubi se incluserat[8], nec opera consulum[9] impedire potuit Publius, quominus leges et rogationes de reditu Ciceronis promulgarentur, nec vi summa[10] tempus terens, quominus comitia fierent centuriata, ut lege Cornelia Cicero revocaretur[11]. Interea leges Cæsaris tollere Clodius conatus erat[12] et, cum magistratu abiïset, tanta certamina concitavit, ut a T. Annio
57 Milone tribuno plebei anno sexcentesimo nonagesimo septimio de vi accusaretur, sed opera fratris Appii, consulis Metelli, Atilii tribuni plebei factum est, ut prætor deterrere-

[1] Suet. Dom. 9.

[2] Cic. De dom. 30, 81. Cfr. Lange R. A. III, p. 308, II, p. 699.

[3] Cic. De dom. 50, 129, De har. resp. 13, 28 & 29, 27, 59; Pr. Sest. 26, 56. Cfr. Lange R. A. III, pp. 307 sq. II, p. 683, Ihne R. G. VI, p. 361.

[4] Cic. Ad Att. III, 10, 1.

[5] Dio Cass. XXXVIII, 30, 3; Plut. Cic. 33.

[6] Vide pag. 70.

[7] Cic. De har. resp. 15, 32, Pr. Sest. 33, 72, 34, 74, ubi Atilio cognomen est Gaviano, 38, 82, 40, 87, 43, 94, In Pis. 15, 35, ad quæ Asc. Or. p. 11 et Schol. Bob. pp. 288, 303. Cfr. Lange R. A. III, pp. 308 sq. Ihne R. G. VI, p. 363.

[8] Plut. Pomp. 49, Asc. Or. p. 47; Cic. De dom. 5, 13, 25, 67, De har. resp. 23, 49, Pr. Sest. 32, 69, In Pis. 7, 16, 12, 28, Pr. Mil. 7, 18.

[9] Cic. Pr. Sest. 32, 69, In Pis. 13, 29.

[10] Cfr. pag. 71.

[11] Cic. Ad Att. IV, 1, 4. Cfr. Lange R. A. III, pp. 310—314. Ihne R. G. VI, pp. 363—368.

[12] Cic. De dom. 15, 40, De har. resp. 23, 18; Cfr. Lange R. A. III, p. 310, Ihne R. G. VI, p. 364.

tur, ne in judicium rem vocaret[1]. Quoniam eo tempore summa erat annonæ caritas et Cicerone auctore in senatu agebatur de Pompejo deligendo, qui cum summo imperio et potestate rei frumentariæ provideret, duæ ejus rei causa latæ sunt leges[2], quibus Clodius restitit[3], postquam jam antea hoc instigante multitudo tumultuata est[4]. Nec multo post ædilitatem petivit Publius[5], quam ne adipisceretur, Milo prohibere conatus est de vi accusando iterum[6], iterum autem illum adjuvit Metellus prædicando, ne fierent judicia, antequam ædilibus factis creati essent quæstores[7]. Cum arsisset domus Ciceronis, per Scatonem quendam emerat Publius aream, cujus in partem porticu vicina Q. Catuli deleta ipse aliam inædificavit latissimam, partem consecravit Libertati, ut ait Cicero, Tanagreæ, cujus ex Græcia statuam deportaverat Appius[8], et cum Ciceroni lege Cornelia revocato bonis restitutis senatus decrevisset, rem ad pontifices esse referendam, qui, postquam apud eos orationem suam de domo habuit Cicero, declaraverant, sine ulla religione huic ædes reddi posse, ne eas possideret, omnibus rationibus impedire conatus est Publius. Nam postquam senatus consultum, cum primo intercessisset Sex. Atilius et per tres horas contra Ciceronem locutus silere coactus esset Clodius[9], factum est, ut ex verbis pontificum, quibus tamen jus suum confirmari apud populum docuerat Clodius, area potiretur Cicero, cujus damna etiam sarcirentur, vi et armis ædificationem Publius

[1] Dio Cass. XXXVIX. 7, 4; Plut. Cic. 33; Cic. Or. cum sen. gr. egit 8. 19; Pr. Sest. 41, 89, Pr. Mil. 13, 35, 15, 39, Ad Att. ,IV 3, 2. Cfr. Lange R. A. III, p. 313.

[2] Lange R. A. III, p. 315 sq.

[3] Plut. Pomp. 49, Cic. De dom. 8, 18, 10, 25, 26.

[4] Asc. Or. p. 49.

[5] Cic. Pr. Sest. 55, 118.

[6] Dio Cass. XXXIX, 7, Cic. De har. resp. 4, 7, Pr. Mil. 13, 35, 15, 39.

[7] Lange R. A. III, p. 317.

[8] Vide pag. 71. Cfr. Plut. Cic. 33. Dio Cass. XXXVIII, 17; Cic. De dom. 20, 51, 38, 102, 40, 105, 41, 108, 42, 110, 43, 111, 44, 116, De leg. II, 17, 42; Asc. Orell. p. 14.

[9] Cic. ad Att. VI, 2, 4. Cfr. Lange R. A. II, p. 411.

interrupit et domo Q. Tullii incensa, Ciceronem ipsum aggressus, ignem subjicere tectis quoque Milonis conatus est [1]. Cum interea is impedivisset, quominus ædiles curules crearentur, tandem Metellus effecit, ut comitia a. d. XI Cal.
56 Febr. haberentur et crearetur Clodius ædilis curulis anno sexcentesimo nonagesimo octavo [2]. Quo magistratu præditus confestim [3] de vi reum fecit Milonem et C. Cato tribunus plebei tulit, ut de re quæstio institueretur extra ordinem [4]; Pompejus, cui tunc adversari jam studebat Crassus, advocatus aderat Miloni, contra eum autem testis productus est Vatinius et causa a. d. IV Non. Febr. tranquille admodum orata dies prodicta est in a. d. VIII Id. Febr., quo Clodius, qui interea obstabat, quominus de provinciis quæstorum referretur et ornarentur prætores, atque opera tribuni plebei legi curiatæ de imperio horum intercesserat, postquam vix peroravit Pompejus, locutus est, sed tanto clamore adversariorum interpellabatur, ut interrogationibus solum suorum Pompejum lædere, Crassum laudare posset, rixa autem orta nihil perfectum est. Quæ res a. d. VI et V Id. Febr. actæ sunt in senatu, qui censuit, hæc contra rempublicam facta esse putanda, auctore Pompejo, cui tam violenter restitit Cato, ut ille sibi persuasum esse diceret Ciceroni tribunum instigari a Crasso, ad quem oppugnandum se copias ex Piceno et Gallia exspectare; a. d. IV. quoque Id. Febr. senatus consultum factum est, ut "sodalitates decuriatique discederent lexque de iis ferretur, ut, qui non discessissent, ea poena, quæ est de vi, tenerentur", ac Clodius diem Miloni prodixit in a. d. XIII Cal. Mart. et Non. Maj., quo tamen

[1] Dio Cass. XXXIX, 11; Plut. Cic. 33, App. B. c. II, 16; Vell; Pat. II, 45; Cic. De har. resp. 6, 12, 7, 13, 14, 8, 16; Pr. Sest. 39, 85. In Pis. 22, 52, ad quæ Asc. Or. p. 13 sq. Pr. Mil. 14, 38, 32, 87; Ad Att. IV, 2, 3, 45; 3, 2, 3; Ad fam. I, 9, 5. Cfr. Lange R. A. III, p. 318, Ihne, R. G. VI, pp. 374 sqq.

[2] Cic. ad Att. IV, 3, 3, ad Q. fratr. II, 2, 2; Dio Cass. XXXIX, 18.

[3] Dio Cass. ibid. Cic. Pr. Sest. 44, 95, In Vat. 17, 41, Schol. Bob. in or. Cic. pr. Mil. Orell. p. 288.

[4] Cic. ad Q. fratr. II, 3, 4. Cfr. Lange R. A. III, p. 323.

res non in judicium vocata est[1]. A. d. IV. Id. Febr.[2] P. Vatinius et M. Tullius Albinovanus[3] P. Sestium adjuvante[4] et auctore[5] Clodio accusaverunt, pro quo tunc orationem illam habuit Cicero; reus omnibus sententiis a. d. V Id. Mart. absolutus est[6], nec multo post M. Cælium Rufum, quem accusaverat Clodia[7], soror Publii, defendit orator contumelias in Clodiam et Clodium jaciens, quas injurias Publius, qui interea in magistratu Megalesia faciens servis in ludos admissis novos excitaverat tumultus[8], ulcisci conatus est contendendo prodigiis quibusdam nuntiatis[9] deos iratos esse, quod haberentur loca sacra et religiosa profana[10], et in ea causa esset domus Ciceronis[11], qui cum Clodius diem se ei esse dicturum minaretur[12], orationem habuit de haruspicum responsis, qua non magis quam senatus consulto, quo decretum est, eum contra rempublicam esse facturum, qui Ciceronis domum violasset[13], deterritus est Publius, quominus opera fretus Pompeji, quem consulatum petentem tunc cum eo reconciliatus adjuvit[14], ædificationem inter-

[1] Dio Cass. XXIX, 18 & 19; Plut. Pomp. 48, qui tamen ea alio tempore facta credens nonnulla quoque a verbis Ciceronis dissentientia tradidit et aliter commemoravit; Cic. De har. resp. 26, 55, Pr. Sest. 44, 95, 49, 104, In Vat. 17, 40, 41; Pr. Mil. 15, 40, 25, 68; Ad Q. fratr. II, 3, 6, 4, 5, 7, 1, ad fam. I, 5 b, 1; Asc. Orell. p. 49, Schol. Bob. p. 324; Cfr. Lange R. A. III, pp. 323 sq. 330, II, p. 586; Ihne R. G. VI, pp. 383 sqq.

[2] Cic. Ad Q. fratr. II, 3, 5.

[3] Cic. In Vat. 1, 3.

[4] Cic. In Vat, 17, 41.

[5] Schol. Bob. ad Or. Pr. Sest. Orelli p. 298.

[6] Cic. ad A. fratr. II, 4, 1. De die non satis constat epistolæ hoc loco aliis V, aliis II, aliis prid. Idus Martias legentibus. Cfr. Lange R. A. III, p. 325.

[7] Vide pag. 106.

[8] De har. resp. 11, 22, 23, 24, 12, 25, 26.

[9] Dio Cass. XXXIV, 20.

[10] Cic. De har. resp. 5, 9.

[11] ibid.

[12] ibid. 4, 7.

[13] ibid. 8, 15.

[14] ibid. 24, 41, 52, 25, 53.

rumperet, id, quod impedivit Milo [1]. Postea quoque contentiones habuit cum Cicerone de tabulis ahenis, quibus inscripta erat lex de exilio hujus [2] et de monumenti cujusdam titulo [3], et contendebat uterque alterius facta contra leges esse [4] subveniente Publio M. Catone, qui Romam revertisset; a quo mox dissedit Publius servorum causa, quos ille in urbem apportaverat et hic Clodios appellatos voluit [5]. Pompejus sibi conciliasse videtur Clodium, qui tunc summa ope pro eo laborabat [6], spe legationis aut Byzantium, aut vel ad Brogitarum vel utriusque [7], quam spem verisimile est Publium fefellisse, nam nullo loco officii ab eo peracti ejusmodi mentionem factam reperimus, et per insequentes annos Romæ mansit, ubi causas nonnullas egit, accusans anno
54 septingentesimo, quo erat frater consul, Procilium quendam, qui a. d. III Non. Quinct. condemnatus est duodetriginta sententiis, absolventibus viginti duabus, postquam Publius diserto epilogo mentes judicum movit, abstinente re Cicerone, ne offenderet Clodium [8], qui eodem anno cum eo M. Aemilium Scaurum defendebat [9]. Cum secundo post anno præturam peteret Publius, Milo consulatum, certamina alteri cum altero rursus erant, nam competitores hujus ille adjuvit et promisit se in magistratu infimæ plebi consulturum per leges esse [10], ac Milo maximo apparatu ludos fecit [11] Tunc

[1] Dio Cass. XXXIX, 20. Cfr. Lange, R. A. III, pp. 329 sqq.

[2] Vide pag. 80.

[3] Cic. ad fam. I, 9, 15, ad Q. fratr. II, 9, 2, De har. resp. 27, 58.

[4] Dio Cass. XXXIX, 21, 4: ὁ μὲν τήν τε δημαρχίαν τὴν τοῦ Κλωδίου ὡς καὶ παρὰ τοὺς νόμους γενομένην καὶ τὰ πραχθέντα ἐν αὐτῇ ὑπ' αὐτοῦ ὡς καὶ ἄκυρα ὄντα, ὁ δὲ τὴν τε φυγὴν τὴν τοῦ Κικέρωνος ὡς καὶ δικαίως ἐγνωσμένην καὶ τὴν κάθοδον αὐτοῦ ὥς καὶ παρανόμως ἐψηφισμένην. Cfr. Plut. Cic. 34, Cato 40.

[5] Dio Cass. XXXIX, 23.

[6] „ „ „ 29.

[7] Cic. ad Q. fratr. II, 9, 2.

[8] „ „ Att. IV, 15, 4.

[9] Asc. in Or. Cic. pr. Scauro Orelli p. 20, Cfr. M. Schantz, Römische Litteraturgeschichte I, pp. 218 sq. Lange, R. A. III, p. 350.

[10] Cic. Pr. Mil. 12, 33, 32, 87, 33, 89. Cfr. p 91, n. 11.

[11] Cic. ad Q. fratr. III, 8, 6, Pr. Mil. 35, 95. Cfr. Asc. pp. 32, 53.

Clodius Ariciam profectus est et redeunti cum comitatu servorum ad triginta Milo a. d. XIII Cal. Febr. (nam ne tunc quidem comitia facta erant) hora diei circiter nona non procul a Bovillis occurrit magnam ducens manum gladiatorum armatorumque rixaque a novissimis concitata Clodio minitabundo respicienti humerum trajecit e Milonianis quidam, quod cum cognovisset dominus vulneratum et latentem ex taberna, quo confugerat, extrahi et per plurimos ictus confici jussit, quod flagitium Ciceronem non puduit virtutem appellare[1]. Corpus servis interfectis aut graviter vulneratis in via jacens Sex. Tedius senator sustulit et Romam secum attulit, ubi cum questu et mærore uxoris Publii Fulviæ acceptum a plebe luctu fere tumultuante, ut combureretur, deportatum est in curiam Hostiliam, que tunc etiam flammis consumpta est[2]. Ciceroni cæde illa adeo levatus est metus, in quo per totam fere vitam Publii erat, ut spatium temporis numero dierum aliquamdiu finiret ab illo facto præteritorum[3]; Milonem damnatum Massiliam exulatum iisse scimus. In matrimonium duxerat Clodius Pinariam, postea Fulviam, quacum summa in concordia vixisse videtur, ut apparet ex ipsa narratione de morte ejus[4].

P. Clodius inde a puero menti effrenatæ nemine castigante nimium indulsisse videtur, quare, ut primum adolevit ætas, impotentia animi[5], cui numquam insita esset consuetudo et necessitas parendi, in exercitibus versatus contentiones habuit cum principibus, quorum justa et legitima potestas ei, ita ut in junioribus fieri solet, summæ nobili-

[1] Pr. Mil. 11, 30.

[2] Asc. pp. 32 sqq. 36. Cfr. Cic. 10, 27, 28, 29; Cæs. d. b. g. VII, 1. Liv. ep. CVII; Vell. Pat. II, 47; Quint. V, 10; Plut. Cic. 35 Dio Cass., XL 48; App. B. c. II, 21; Schol. Bob. Orell. p. 275, Victorinus, Orelli V, p. 77; Lange R. A. III, pp. 361 sq. 363, II, p. 397; Ihne R. G. VI, pp. 450, 453 sq. Momms. R. G. III, p. 337.

[3] "Ephesum venimus a. d. XI Cal. Sext. sexagesimo et quingentesimo post pugnam Bovillanam." (Ad Att. V, 13, 1.) "Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto" (VI, 1, 26).

[4] "sine uxore, quod numquam fere". Cic. Pr. Mil. 10, 28.

[5] Plut. Luc. 34, Cæs. 9, Cic. 28; Dio Cass. XXXVI, 14.

tatis[1] superbia elato[2] miserrima dominatio esse videbatur, nec est dubium, quin per id tempus conceperit odium inexpiabile in potentissimum quemque, cujus vi et injuria vexarentur infimi cives. Nec fallere adolescentem, ut erat peringeniosus[3], in memoria suæ ipsius gentis cognoscenda versantem potuit, Sp. Cassium, Appium decemvirum, Sp. Mælium, Gracchos, innumerabiles fere alios, qui causam plebis amplexi essent, a principibus interemptos esse nec, licet insolenter facinoribus gloriati sint scelerati, ad ejusmodi committenda flagitia adductos esse eos nisi cupiditate sola dominandi invidentiaque in alios. Quibus imbutus rationibus cum Publius ad rempublicam accessisset, et jam questor sacrilegio illo libidine indomita commotus se inquinasset, ut ei adversarius exsisteret, loquacitate et facetiarum studio impulsus est Cicero, qui ipse contra leges Catilinæ conjuratos oppresserat. Qua ira cupiditateque ulciscendi ductus nimia, quam in rebus Ptolemæi regis satis ostendebat, Publius implacabilis factus est hostis oratoris, qui in republica administranda viam longe dissimillimam sequeretur; et ita ex partibus plebis postea erat et sua ipsius voluntate et necessitate permotus. Qualis re vera fuerit in rebus gerendis, dijudicare non possumus, neque autem obliviscendum est, vitam Publii depictam esse a Cicerone viro ei inimicissimo, quo usi sunt auctore posteri scriptores in memoria reddenda Clodii, nec tanti, quanti Cicero, bonos, ut ait iste, eorumque reipublicæ administrandæ rationes æstimamus. Fieri non potest, quin, cum oratoris in Publium, Gabinium, Pisonem, alios non magis his quam ipsi turpia legimus convicia, quemadmodum integritatem vitæ ejus per hanc ætatem certe rarissimam ingeniumque summum admiramur, ita nos fastidium quoddam subeat morum, superbiæ, implacabilitatis, ignaviæ, querimoniarum, per quas suam salutem bono reipublicæ exæquat, et calamitatem justæ poenæ sceleris malum omnium ad totam civitatem everten-

[1] Cfr. v. g. Cic. Brut. 44, 116, ad fam. III, 8, 8, Pr. Cæl. 14.
[2] Plut. Luc. 34.
[3] Cic. ad Att. IV, 15, 2, Cfr. Momms. R. G. III, p. 308.

dam aptum appellat identidemque appellat, omnium denique rerum, illi repugnantium veræ virtuti, quam in libris tot tantisque laudibus extollit, et verbis, quibus coustantiam prædicat M. Catonis[1] inscius se ipse, modumque, quo per idem tempus se gerebat, acerrime judicavit Cicero. Libertatem illam populi Romani, qua totiens gloriabantur, non magni faciendam nec quid fuisse præter potestatem nobilissimi cujusque provincias diripiendi imperioque lucri causa abutendi, inter hujus ætatis doctissimos viros satis constat, nec est quisquam, qui existimet, bonos illos finem bonorum esse alium ac quæstum et pecuniam putasse. Quæ cum ita sint, contumeliæ Ciceronis in Publium res gerentem jactæ meræ putandæ sunt nugæ, et si laudes conferimus, quibus ille Milonem extollit[2] cum summa severitate, quam in Gracchis adhibuit judicandis[3], facere non possumus, quin prudentiæ civili facultatique ejus ea, quæ fierent factaque essent cum æquitate æstimandi diffidamus. At per urbem armatas duxit Clodius manus! Quid? Cæsar bellum intulit patriæ maximis exercitibus. Quamquam hac ætate hunc collaudant omnes. Non est dubium, quin Clodius legibus suis per totam fere vitam senatui optimatibusque adversatus infimæ plebe libertinisque, quinetiam servis[4] consuluerit, id, quod, licet opera magna ex parte inviti ejus usi sunt triumviri, laudi dandum est ei, qui constantiam multitudini amicissimus semper servavit, neque, opinor, credendum est, commodis et sua utilitate sola adductum esse Publium, ut eas sequeretur partes, quæ faventi ad potentiam adipiscendam aptissimæ viderentur[5]. De moribus ejus si nonnulla expromere conamur, fieri non potest, ut infitias eamus illum vita vel summis flagitiis inquinatum esse, quoniam satis constat eum amore arsisse nefario sororum, et scelera commisisse, quibus ne in tanta quidem pravitate ignosci posset. Licet

[1] Pr. Sest. 28, 60.

[2] De har. resp. 3, 6; Pr. Sest. 40, 85, 86.

[3] De dom. 31, 82, In Vat. 9, 23.

[4] Cic. De har. resp. 12.

[5] Ihne R. G. VI, p. 359, Cfr. tamen 377.

memoriam hominis ab hostibus vel iis, qui his usi sunt auctoribus, tractata sit, plus satis tamen rerum restat, quæ non criminationes solæ putandæ sunt, neque ideo cum clementia judicanda, quod verisimillimum est Publio in familia fratris puero omnem licentiam datam esse.

His tribus fratribus sorores tres erant, quarum maxima natu

33. Clodia

Q. Marcio Regi nupserat[1]. De amore illius et sororum fratris Publii nefario narravit Plutarchus[2].

Altera filia Ap. Claudii (24)

34. Clodia

variis de causis in rerum monumentis famosissima facta est. In ea enim agnoscere voluerunt viri docti Lesbiam illam Catulli, cui scimus cum fictum esse nomen[3] tum verum fuisse Clodiæ[4]. Jam autem per multos annos[5] ambigitur, utrum hæc fuerit filia Appii an libertina quædam et meretrix, sed consensu plurimorum, qui hac de re disseruerint, constare videtur[6] mulierem non obscuris majoribus ortam

[1] Dio Cass. XXXVI, 17.

[2] Cic. 29: Πολλὴ δ' ἦν δόξα καὶ ταῖς ἄλλαις δυσὶν ἀδελφαῖς πλησιάζειν τὸν Κλώδιον, ὧν Τερτίαν μὲν Μάρκιος Ῥήξ, Κλωδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν . . . quibus ex dictis non minus quam e verbis Ciceronis (ad fam. I, 9, 15) "tris sorores" facillime apparet quodammodo errasse Varronem (Cfr. pp. 67, 70 n. 2), nisi Appius hoc loco illius de sororibus solis locutus est, quæ nondum in matrimonio collocatæ essent.

[3] Ov. Trist. II vv. 427 sq.:

> "Si sua lascivo cantata est sæpe Catullo
> femina cui falsum Lesbia nomen erat."

[4] Apul. Apol. 10:

> "Eadem opera accussent C. Catullum, quod Lesbiam
> pro Clodia nominarit."

[5] Vide v. g. Ellis p. LV.

[6] Schantz, Röm. Litgesch. I, p. 147. Ut omnia, quæ hac in re dijudicanda ediderunt viri doctissimi cognoscerem, mihi non contigit, opera autem auctorem, quæ mihi in promptu sunt, et in quibus cum sententias suas defenderunt, tum testimonia aliorum expenderunt, hæc sunt:

re vera Pulchro natam esse, et hoc ut credam eo maxime adducor, quod non negandum est Catullum, si expendere conamur, qualis ea ætate fuerit, summis ingenii muneribus præditum et maxima fingendi celeritate, divitem [1], amabilem, lepidissimum, genere illustrem, committere non potuisse, ut tam effuse et fere suppliciter appeteret et plurimi faceret amorem feminæ nisi pari vel superiore loco ortæ [2]. Tum si inspexerimus carmina, quorum verbis expressum est, quo animo esset poeta, cum puellam, ut ait ipse, suam videret non solum perfidam, sed etiam corpore vulgatam turpissimisque vitiis et libidinibus atque flagitiis inquinatam esse, inveniemus eum non modo dolore et ira affectum, verum etiam tanto mærore laceratum esse, ut eum vitæ tæderet mortemque summa desperatione a deis imploraret [3]. Quid vero erat, cur angores adeo caperet pro meretrice vel ejusmodi quavis muliere, a qua nihil aliud exspectare posset, et qui fieri potuit, ut tanto dolorum cruciatu conficeretur, nisi a matrona nobilissima se cum constantia et quasi integritate dilectum esse credidisset et tunc adolescenti fervido spes falsæ et opiniones ereptæ essent nequitia feminæ, quam ut suspiceret omnia eum moverant? [4] Cum huc accedat, quod mira ratione omnibus rebus, quas de Clodia cum Cicerone tum aliis scimus testibus, ea consentiunt, quæ de Lesbia sua versibus tradidit poeta, equidem

---

W. A. G. Hertzberg et W. S. Teuffel: Die Gedichte des Catullus uebersetzt etc. Einl. Stuttgart 1862.

P. G. Lyth: Gaius Valerius Catullus, ett litteraturhistoriskt utkast. Akad. afh. Upsala 1875.

R. Ellis: A commentary on Catullus, Catulli Veronensis Liber, Oxonii MDCCCLXXVI & LXXVIII.

Ae. Bæhrens: Catulli Veronensis Liber, Lipsiæ MDCCCLXXVI & LXXXV.

E. Benoist, Eugène Rostand, Emile Thomas: Le poësies de Catulle etc. Paris MDCCCLXXXII & XC.

Alexander Riese: Die Gedichte des Catullus etc. Leipzig 1885.

[1] Cfr. v. g. Benoist pp. XXXVII, XL. Vide tamen Ellis p. XLVIII.

[2] Vide v. g. LI.

[3] V. g. LXXVI.

[4] Cfr. Benoist p. LI, Ellis pp. LX sqq.

dubitare non possum, quin fuerit illa "amata, quantum amabitur nulla"[1] re vera Appii Gaique et Publii Pulchrorum soror, id, quod in vita ejus enarranda carmina Catulli, quæ ad eam spectare videntur, semper intuens pro virili parte ostendere conabor.

95 Clodia nata esse videtur[2] anno a. u. c. sexcentesimo
94 undesexagesimo aut sexagesimo et cum, ut cognovimus,
pater ejus morte admodum immatura interciperetur, tempus
adolescentiæ degebat domi fratris[3], neque dubium est, quin
ut ibi artibus instituta sit liberalibus, ita protervitati licen-
tiæque, ex quibus per totius fere vitæ spatium laborabat,
62 omnes indulserint. Ante annum sexcentesimum nonagesi-
mum secundum nupsit Q. Metello Celeri[4], qui ætate jam
63 provecta vir (anno sexcentesimo nonagesimo primo prætor,
60 quarto consul erat), insulsus, putidus[5], reipublicæ soli dedi-
tus, quam minime idoneus erat, quocum beate viveret femina omnium consensu cum pulcherrima, venustissima, gratiosissima, tum amans leporis facetiarumque et alacris ac litterarum studiosissima. Apud Plutarchum narrantem[6] Clodiam opera Tulli socii Ciceronis et familiaris matrimonium oratoris appetivisse fabella quædam ad eam pertinens est, quæ forsitan orta sit ex eo, quod ipse hic tradidit[7] se anno
62 sexcentesimo nonagesimo secundo egisse cum illa, et ut nihil,
quod ei vitio dari posset ex hac ætate comperimus, ita verisimile est eam brevi Catullum cognovisse. Quando hic na-

[1] Cat. VIII, 5, XXXVII, 12.

[2] Riese p. XI, cfr. Bæhrens II, p. 31, Teuffel R. Ltgesch. p. 416.

[3] Vide pag. 70 n. 5.

[4] Cic. ad. fam. V, 2, 6.

[5] Hæc colligi posse videntur ex verbis a Cicerone de Metello scriptis ad Att. I, 18, 1:

"Non homo, sed
litus atque aër et solitudo mera."

[6] Cic. 29.

[7] Ad fam. V, 2, 6.

tus sit[1] et Romam primum advenerit[2] non certo scimus, sed fieri potest, ut in urbe aliquot annos fuerit, cum Metelli uxorem vidit et annos fere quinque et viginti natus amore ejus incensus est[3]. Credere voluerunt novi scriptores Lesbiam non confestim cessisse amori et precibus poetæ[4], qui forsitan ipse conatus sit libidinem suam domare, quam autem mox satiabat amico Allio amantibus opitulante per difficultates eorum metu mariti motas. Hujus temporis Catullus amicum commonefecit in carmine non multo post scripto[5] gratias illi maximas agens et tunc multa panxit ad amicam celebrandam amoremque muutum exprimendum versiculis, quibus cum lepore et veritate summa id, quod sensit, impetu quodam divino et suavitate elegantissima ita elocutus est, ut eum ad numerum Romanorum poetarum optimorum ascribere possimus. Inter dies hos lætissimos, quibus tanto ardore beatitudinis et fortunæ donis fruentem se depinxit poeta, clades ei luctifera illata est mortuo fratre ejus carissimo et, ut videtur, unico[6]. Ad patrem consolandum profectus est Veronam, ubi aliquamdiu moratus est luctu afflictus adeo, ut litteris Alli (Mali[7]), Ortali amicorum hortantium, ut carmina sibi mitteret quædam, nihil responderet nisi se tanta vi mæroris urgeri, ut operam dare poesi nequiret, quæ tamen responsa nobis servata sunt versibus

[1] 667 aut 670. Cfr. Momms. R. G. III, pp. 332 & 300, Schantz, R. 87 84
Lg. I, p. 146, Teuffel R. Lg. p. 414, Riese p. VI, Benoist, pp. XXVII—XXX, XIV sqq. Ellis, pp. LXIV—LXVII.

[2] 689, Bæhrens II, p. 23; 685 aut 686, Benoist pp. XXXIV et 65 69 68
LXXII.

[3] Riese pp. VIII sqq. Bæhrens II, p. 28, Benoist pp. LII sqq.

[4] Bæhrens II, p. 27; Cfr. Benoist. p. LIII.

[5] LXVIII (a, b, c) De ætate, qua hoc composuerit Catullus, aliisque ad id spectantibus rebus dissensio est doctis hominibus. Equidem secutus sum sententiam, quam protulerunt Bæhrens (II, pp. 536 sqq.), Benoist (p. 693), Ellis (p. 321). Cfr. tamen Riese pp. VIII[1]), XIIX, 219.

[6] 695, Benoist, p. LVI, cfr. Bæhrens p. 28, Riese passim, maxime 59
p. XIX. Parum credibile mihi videtur Catullum non amplius septendecim annos natum ea fingere potuisse de amoribus præteritis, quæ poemate ejus LXVIII exprimerentur.

[7] Vide de nominibus his Riese, p. 219, cfr. Benoist, pp. 691—693.

egregiis[1]. Tunc ad eum Roma venerunt rumores, quibus in dubium vocabatur fides Lesbiæ, quam in urbem revectus poeta male constantem esse conquestus est in carmine lacrimarum et tristitiæ pleno; mox objurgationes misit ad Rufum quendam, cui conciliatam compererat Lesbiam. Interea diem obierat maritus ejus, quæ se restituit Catullo, affecto hujus rei maximo gaudio, quod ut expressit nonnullis poematibus, ita non multo post in dubitationem adductus promissa amatæ vana credens postremo intellexit secum multos æmulari, in quos vehementissime invectus est. Inde cum in dies magis magisque depravari mores coepti essent Lesbiæ in vitam infamem planeque meretriciam delapsæ, poeta odium iramque et contemptum atque mærorem effudit, donec sex-
57 centesimo nonagesimo septimo anno Memmium comitatus est in Bithyniam, unde cum revertisset, puellam suam perfidam, quæ recuperare voluerat voluntatem ejus, jussit valere[2].

59 [1] 695. Benoist p. LVI, cfr. Bæhrens II, p. 28, Riese pp. VIII, XIX, 219, cujus sententiam amplecti non possum, quia, ut jam dixi, fieri non posse existimo, ut Catullus prima fere ætate carmen illud LXVIII b scripserit.

[2] Si introspexerimus, quæ de temporum ordine carminum Catulli reddiderint docti viri, hæc fere ab iis prolata inveniemus. Primum poëma, quod ad Lesbiam misit LI esse videtur, quod secuta sunt XCII, LXXXIII, II, III, V, VII, quæ admirationem, amorem sincerum, felicitatem summam osculorum complexuumque primorum omnia ostendunt, dum Veronam profectus est poeta, unde cum redisset, simultates habuisse, mox autem reconciliatos esse amantes declarant VIII, CVII, CIX, XXXVI. Lesbiam re vera fuisse Clodiam Metelli uxorem credentis maxime interest Catullum nullo post LXXXIII loco nisi LXVIII, b, ubi præterita memorat, mentionem fecisse mariti puellæ suæ, tum in Rufum, quem plurimi M. Cælium Rufum amicum illum Ciceronis esse arbitrati sunt, LIX et LXXVII conjecisse, postremo ipsum hæc scripcisse:

"Nulli se dicit mulier mea *nubere* mælle
quam mihi" . . . . (LXXII, 1, 2.)

59 Animum et mores Clodiæ Metello anno sexcentesimo nonagesimo quinto mortuo semper corruptiores fuisse satis constat, quod idem Lesbiam attigisse commemoravit Catullus, æmulos, Gellium (LXXIV al.) Ravidum (XL) Egnatium (XXXIX) omnes (XXXVII), Lesbium (LXXIX) probris et conviciis vexans, quorum carminis LXXIX verba reddere volo:

Teste scimus Cicerone[1] Clodiam brevi dissensisse a marito, quem repente mortuum veneno necasse insimulata est[2], sed nihil habemus, quod credamus ejusmodi crimina vera esse, cum eadem affirmare non audeamus de incesto

"Lesbius est pulcher: quid ni? quem Lesbia malit
quam te cum tota gente, Catulle, tua
sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum
si tria notorum savia reppererit."

Cum Lesbius ille, cui necesse est nomen fuisse Clodio, hic "pulcher" bis appellatus sit, dubitari vix potest, quin Clodius quidam Pulcher fuerit, et verisimillimum est, hunc fuisse tribunum illum plebei Publium, quocum rem habuisse tradunt Clodiam sororem, cujus vita in dies turpior adduxisse potest poetam, ut in eam LXXII, LXXXVII + LXXV, LXXXV, LVIII, LXXVI, ultimum XI, verteret. Fuere, qui putarent, nomine illo Lesbio non Publium, sed illum satellitem ejus Sextum designari, qui tamen nusquam Pulcher appellatur, affirmantes et versibus eis crimini dari vitium turpissimum æmulo lingua abutenti in libidini mulieris satisfaciendo, nec umquam Ciceronem, qui tot probris vexaret Publium, illud ei flagitium objecisse. Intuenti autem orationes Ciceronis diligentius apparebit constare Publium hoc quoque modo se inquinasse ex verbis illius scribentis:

De dom. 18, 47: "hanc tibi legem Clodius scripsit, *spurciorem lingua sua*".

De har. resp. 27, 59: "quis minus umquam pepercit hostium castris, quam ille *omnibus corporis sui partibus*".

Pr. Sest. 7, 16: "hominis fraternis flagitiis, sororiis stupris, *omni inaudita libidine* insani:

Cfr. Bæhrens II pp. 27 sqq. 110 sq. 538, 556, 596, 599, 212 sq. 540, 546, 572 al. 226, 222, 219, 560, 543, 548 & 569, 567, 287, 553, 38, 124 sq.

Benoist, pp. LIV sqq. LXVII sqq. 493, LIX n. 1, 746 (cur carm. LXXXIII non "ascribendum sit ineunti Lesbiæ et Catulli amori" [Bæhrens, II p. 564] intelligere non possum) 764, 373, 380, 726, 736, 793, 795, 462, 728, 734 al. 472, 470, 465, 740, 732, 751, 749, 510, 753, 392.

Riese, pp. IX sq. XIX, 259, 253, 12, 15, 17, 241, 249, 271, 272, 70, 242, 244, 258 al. 78 sq. ubi carm. XL non ad Lesbiæ amorem Catulli pertinere putat, 76, 73, 251, 243, 245, 255, 107, 246, 25.

Ellis, pp. XLII sqq. 371, 364, 14, 17, 19, 345, 359, 385, 387, 96, 346, 348 al. 111, 107, 101, 361, 348, 354 & 368, 367, 161, 355, 31.

Lyth, pp. 7—18.

[1] Ad Att. II, 1, 5.

[2] Cic. Pr. Cæl. 8, 18: "Palatina Medea", cfr. 24, 60, Quint. VIII, 6, 53.

tot locis auctorum[1] testato cum fratre Publio commisso, cujus in domum commigravit, ubi liberius vivens Cœlium cognovit[2] Hic, qui se Ciceroni tradiderat instituendum, ab eo egregius adolescens laudatur[3], quamvis facere non possim egomet, quin existimem illum flagitiis non minus quam Clodiam inquinatum maximam subisse turpitudinem eam accipiendi pecuniam mulieris, quacum corpore mixtum, cupiditatum satellitem, sodalem comissationum, libidinum, licentiæ, luxuriæ, eum fuisse Cicero ne conatus quidem est negare. In quibus omnibus rebus demonstrandis perspicua voluptate versatus est orator tum, cum pro Cælio dicens apud judices contumeliis operiebat[4] feminam, cujus flagrasse odio videtur ideo, quod sibi persuaserat in se suisque vexandis eam cum fratribus Appio Gaioque subvenisse Publio. Quo dolore ad ulciscendum ardens orationis illius summa
56 eloquentiæ, salis, superbiæ vi usus anno sexcentesimo nonagesimo octavo infamia aspersit Cicero sempiterna Clodiam, quæ tunc poenas luit non minus ob totius vitæ peccata quam ob levitatem illam animi, qua commota accusationem hanc meris nugis nixam a Cælio quavis de causa alienata irascens comparavit, neque dubium est, quin orator, licet multa exaggeraverit cupiditate cæcatus, ad veritatem locutus imaginem expresserit non tam abhorrentem a ratione Clodiæ ea ætate vivendi. Cum de ultimis annis hujus ni-
44 hil sciamus, fieri potest, ut adhuc spiraverit anno septingentesimo decimo, quo Cicero illo nomine cujusdam, quæ tamen forsitan fuerit uxor Luculli, mentionem facit[5].

Clodia nostra formosior erat quam pudicior, si quidem,

[1] Cic. De har. resp. 20, 42, 27, 58, Pr. Sest. 17, 39, Pr. Cæl. 16, 38, Ad Att. II, 1, 5, Ad fam. I, 9, 15. Cfr. ad Q. fratr. II, 3, 2.

[2] Cic. Pr. Cæl. 15, 36, 16, 38, 20, 49.

[3] „ „ „ passim.

[4] "opibus meretriciis" 1, 1.. "viro . . . fratre", amica omnium" 13, 32. "tecum semper pusio cum majore sorore cubitavit" 15, 36. "vicinitatem meretriciam" 16, 37. Habitus, ornatus, vita deridentur 20, 49, 23, 57.

[5] Ad Att. XIV, 8, 1.

ut mihi persuasi, βοῶπις illud Ciceronis[1] sic ad pulchritudinem solam et venustatem ejus pertinet, quemadmodum cognomen illud ei quadrantariæ inditum[2] feminam significans perditissimam non minus causa fuit jocationum quam fabellæ Plutarchi[3] maxime insulsæ, neque magis Catullus puellæ suæ maculas conqueritur, quam corporis ejus præstantiam admiratione captus summis laudibus extollit[4]. Nemini mancipata mortuo viro domi fratris suo more vivebat, neque erat quisquam, cui cederet[5], et per totius vitæ spatium consuetudine usa virorum eruditissimorum studiis litterarum dedita esse videtur.

Tertia filia Ap. Claudii (24) erat

35. **Clodia,**

quam in matrimonium duxit Lucullus[6], qui tamen ei nuntium remisit[7] et postea anno sexcentesimo nonagesimo tertio 61
jure jurando firmavit se cognovisse eam amore fratris Publii nefario flagrare[8].

Ap. Claudio Pulchro cos. anni septingentesimi filiæ 54
erant duæ, quarum altera

36. **Claudia**

nupsit Cn. Pompejo Magni illius filio[9], altera

[1] Ad Att. II, 9, 1, 12, 2, 14, 1, 22, 5, 23, 3 Cfr. "flagrantes oculos" De har. resp. 18, 38, "flagrantia oculorum" Pr. Cæl. 20, 49.

[2] Pr. Cæl. 26, 62, cfr. 29, 69. Quint. VIII, 6, 53: "Quadrantariam Clytemnestram" et illud obscurissimum Cælii: "In triclimo coan, in cubiculo nolam.

[3] Cic. 29.

[4] V. g. LXXXVI, 5, 6:

"Lesbia formosa est, quæ cum pulcherrima tota est
tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

[5] "immoderata mulier" Cic. pr. Cæl. 21, 53, "temararia, procax, irata" 22, 55, "nihil propinquis parere volebat" 29, 68.

[6] Vide pag. 70, n. 2. Cfr. Plut. Luc. 21; dio Cass. XXXVI. 14.

[7] Plut. Luc. 38.

[8] Cic. Pr. Mil. 27, 73. Plut. Cic. 29, cfr. Cæs. 10, Luc. 34. Cic. ad. fam. I, 9, 15; De har. resp. 20, 42; 27, 59.

[9] Cic. ad fam. III, 4, 2; 10, 10; Dio Cass. XXXIX, 60: ὁ Κλαύδιος καίπερ προσήκων (sc. Πομπηίῳ).

37. Claudia

M. Bruto[1], qui cum ea divortium facere cupivit anno sep-
45 tingentesimo nono[2].

C. Claudio (31) nati sunt filii duo, quorum

38. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Pulcher

cum fratre instituendus traditus est Atteio cuidam Philologo,
qui in provinciam[3] juvenes comitabatur[4]. Anno sexcente-
58 simo nonagesimo sexto Cicero scripsit[5] se timere, ne Appius
fratrem Quintum accusaret, quod tamen non fecisse ille vi-
52 detur. Anno septingentesimo secundo reum fecerunt ambo
Claudii Milonem Publii cædis patrui servos exposcentes, de
vi ambituque quoque arguentes[6]. Secundo post anno, cum
milites suos a Cæsare repeteret Pompejus, ex Gallia reduxit
711 Appius hanc legionem[7], sed L. Munatio Planco, M. Aemilio
43 Lepido coss. post mortem dictatoris ad partes se applicavit
Antonii et a Cicerone D. Bruto commendatus est[8], quare
ab Octaviano proscriptus in Siciliam fugit[9]. Quinto post
anno consul erat[10] cum C. Norbano et postea triumphavit
ex Hispania[11]. Videtur Appio natus esse

39. Ap. Claudius Pulcher,

qui inter adulteros Juliæ filiæ Augusti Tiberiique uxoris erat[12].

[1] Cfr. p. 76 cum n. 6. Cic. ad fam. III, 4, 2; Brut. 77, 267, 94, 324.

[2] Cic. ad Att. XIII, 9, 2, 10, 3.

[3] Græciam: Momms. C. I. L. I p. 182.

[4] Suet. Gramm. 10.

[5] Ad Att. III, 17, 1.

[6] Asc. Or. pp. 35, 40, 42. Cfr. Lange, R. A. III pp. 365, 373.

[7] Plut. Pomp. 57. Cfr. Momms. R. G. III p. 366.

[8] Cic. ad fam. XI, 22, 1. Cfr. pag. 81 cum n. 1.

[9] App. B. c. IV, 44, 51.

[10] Fast. Biond. Momms. C. I. L. I p. 467. Cfr. pag. 182, ubi de his fratribus latius disseruit, Dio Cass. XLVIII, 43, Zon. X, 23, Lange R. A. III p. 580, Willems, Le sén. d. l. rép. rom. I p. 610.

32 [11] Tab. triump. Barber. Momms. C. I. L. I p. 478, ubi anno septingentesimo vicesimo secundo a. u. c. hunc honorem adeptum esse Appium putat.

[12] Vell. Pat. II. 100.

Filius alter C. Claudii (31)

40. Ap. Claudius Pulcher,

cui ex testimonio nummi cujusdam[1] prius fuit nomen Gaio,
adoptatus est ab Appio patruo (30) cujus ex testamento
Eleusine propylæa cum Rege quodam Marcio perfecit[2].
Dum exul est pater[3] anno septingentesimo tertio Servilium 51
accusavit Appius pecunias postulans, quas ille a Gaio acce-
perat, sed ab iisdem judicibus, qui hunc damnaverant, reus
absolutus est[4].

A Publio (32) relictus est filius

41. P. Clodius P. F. Ap. N. Ap. Pron. Pulcher[5],

quem cum pater interfectus esset impetu Milonis satellitumque ejus, servaverunt famuli quidam[6]. Vitricus ejus M. Antonius, cui nupserat Fulvia mater, laudans de puero loquitur[7], sed a Valerio Maximo[8] turpis depingitur vita adolescentuli, qui eodem auctore intemperantia cibi mortuus est. De cursu honorum Publii nihil scimus, nisi quid ex inscriptione quadam apparet, quam habet Orellius[9].

Filia quoque Publio (32) erat

42. Claudia,

sponsa Octaviani, cui nupsit militibus flagitantibus, ut imperatores affinitate secum devincirentur, sed brevi repudiata ad matrem virgo remissa est[10].

---

[1] Babelon, Description historique et chronologique des monnaies de la république romaine I p. 362, C. R. Smith, A Dictionary of Roman coins p. 210.

[2] Momms. R. F. I p. 25, n. 38, C. I. L. pp. 181 sq.

[3] Cfr. 81 cum n. 1.

[4] Cic. ad fam. VIII, 8, 2, 3.

[5] Vide pag. 64, n. 6.

[6] Asc. p. 36.

[7] Cic. ad Att. XIV, 13, A, 2, cfr. B. 4.

[8] V, 4, 3.

[9] Vide n. 5.

[10] Suet Oct. 62, cfr. Dio Cass. XLVIII, 5, Zon. X, 21.

Nerones.

Quartus filius Cæci

43. **Ti. Claudius Nero**

nobis nomine solo notus est, quod invenimus apud Suetonium[1] narrantem Ti. Cæsarem sanguine et materno et paterno ab illo ortum esse, quoniam cum Nero prætor anni
41 a. u. c. septingentesimi decimi tertii tum Livia uxor Augusti, de qua procreaverat ille Tiberium, Cæci stirpe generati essent. Cognomen familiæ idem declarat scriptor[2], qua de re disserit Aulus Gellius[3] demonstrans verbo ei ex Græco νεύρῳ Latinoque nervo ducto vim quandam "Martis" esse. Progeniem Tiberii nullo modo tam perspectam habemus quam fratrum, quare in stemmatibus familiæ componendis Neronum, quæ prodere conabor, magis conjecturis et sententiis quam rebus dictisve auctorum ducar. Quod igitur in fastis Gaius ille victor Hasdrubalis in pugna ad Metaurum flumen commissa Ti. F. Ti. N. appellatus est, verisimillimum esse videtur ei patrem fuisse Tiberii nostri filium quendam, qui quoque nominaretur

44. **Ti. Claudius Nero,**

cui fieri potest, ut frater fuerit

[1] Tib. 2.

[2] ibid. "significatur lingua Sabina fortis ac strenuus".

[3] XIII, 23.

45. P. Claudius Nero

quidam ideo, quod æqualis Gai Tiberius consul anni quin-
gentesimi quinquagesimi secundi ex testimonio eodem P. F. 202
Ti. N. erat.

Horum ex familia per spatium liberæ civitatis vir longe clarissimus

46. C. Claudius Ti. F. Ti. N. Nero,

stipendia M. Marcello duce merens anno quingentesimo 214
quadragesimo ab illo Hannibalem aggressuro cum equitibus
circummissus est, qui terga hostium proelio exorto cæderet.
Quæ cum Gaio in itinere retardato non successa essent, ei
acerrime exprobravit Marcellus objiciens se culpa ejus cla-
dem Cannensem illo die, licet victoriam egregiam reporta-
verit, ulcisci non potuisse[1]. Prætor creatus anno a. u. c.
quingentesimo quadragesimo secundo[2] provinciam sortitus 212
est Nero Suessulam[3], unde eum consules Ap. Claudius Pul-
cher[4] et Q. Fulvius Capuam obsidentes excivere ad moenia
urbis, quo cum maxima parte exercitus pervenit[5]. Hanni-
bale castra Romanorum ad Capuam posita oppugnante Nero
viam, quæ ad Suessulam fert cum equitibus sex legionum
obtinuit[6]. Capua capta Publioque et Gnæo Scipionibus
in Hispania cæsis Gaius proprætor cum sex millibus pedi-
tum Romanorum, totidem socium Latini nominis, equitum
millibus, quorum Romani trecenti erant, in Hispaniam tra-
jicere jussus est. Cum copiis naves Puteolis ascendit, mare
transmisit, Terraconem appulit, unde omnibus rebus com-
positis iter fecit contra Hasdrubalem, quem ad Lapides

[1] Liv. XXIV, 17.
[2] Liv. XXV, 2.
[3] Liv. XXV, 3.
[4] Vide 16.
[5] Liv. XXV, 22.
[6] Liv. XXVI, 5.

atros in Ausetanis[1] inventum interclusit in saltu. Elusus
ab hoste, ad cujus hac in re facta designanda Punica illa
Liviana fide merito uti possumus, tempus per speciem collo-
quii et deditionis terente, mentiente, promittente se, si emis-
sus esset, Hispania cessurum, fallente, vana pollicente, occa-
sionem amisit cladis summæ hostibus infligendæ, neque
dubium est, quin tunc juraverit Claudius se aliquando hujus
facinoris ab adversario sumpturum esse poenas, quas terri-
bili modo exigendi veniam ei dedit Fors Fortuna[2]. Anno
209 quingentesimo quadragesimo quinto legatus exercitus Mar-
celli cum Hannibale pugnantis cornui alteri præfuit[3] et
547 secundo post anno consul creatus est, quippe qui gloria
207 multo omnibus antecelleret[4]. Cum autem vehementiorem
ferocioremque se præbuisset, quam ut Hannibali eum ante-
positum vellent patres, nisi quis adesset, qui ingenio ejus
moderaretur, collega Claudio datus est M. Livius Salinator,
cui tertio ante anno[5] persuasum erat, ut ex exilio reverte-
retur, in quo ira et dolore commotus ignominiæ acceptæ
per octo fere annos vitam degerat. Nam a populo damna-
tus erat et ejus rei testis gravissimus Nero adhibitus esse
dicitur a Valerio Maximo[6], quare illius flagrasse odio sed
tunc cum eo se reconciliasse Livium auctor est idem. Con-
sules designati provincias summa concordia sortiti exercitus
comparaverunt[7] et prodigiis quibusdam procuratis in pro-
vinciam profectus est Claudius, ubi ad Venusiam ei obviam
ivit C. Hostilius Tubulus cum copiis, ex quibus suisque ro-

[1] Oretanis? Weissenb. ad Liv. XXVI, 17. Quæ hic narrationem
ejus secutus reddidi obscura et turbata admodum sunt, neque expendere
211 possumus, num vera sint, neque scimus utrum anno a. u. c. quingen-
210 tesimo quadragesimo tertio an quarto gesta sint. Cfr. Mommsen R. G.
I p. 631, Ihne R. G. II p. 283.

[2] Liv. XXVI, 17; Cfr. Zon. IX, 7.

[3] Liv. XXVII, 14.

[4] Liv. XXVII, 34.

[5] Liv. XXVII, 34. Cfr. Fast., quorum tamen huic rei desunt Capitolini.

[6] IV, 2, 2; Cfr. Liv. XXXIX, 37.

[7] Liv. XXVII, 36, 38.

bora elegit consul et contra Hannibalem, qui sub moenibus Grumenti castra posuerat, pugnaturus movit. Poenum inter urbem et castra sua interclusit et cum in campum descendisset Hannibal, cladem ei Nero peditibus aliquot Romanorum sociumque in collibus apertis collocatis, unde a latere in hostem irrupere, haud mediocrem inflixit. Hannibal dolo evasit e castris et in Apuliam discessit, ubi haud procul Venusia eum assecutus Claudius certamen iniit, in quo supra duo millia Carthageniensium ceciderunt. Tunc Hannibal Metapontum, deinde retro Venusiam, postremo Canusium petit, Nerone semper sequente [1]. Interea interceptis litteris, quas sex equitibus fratri apportandas tradiderat Hasdrubal, qui jam Alpibus superatis in Umbria cum Hannibale se conjuncturus erat, consul Claudius sibi quam maxime maturandum ratus epistolam Romam ad senatum misit Poeni præcipiens, quæ facienda essent, et omnibus rebus compositis præsidio castris relicto, cui Q. Catulum legatum præfecerat, ipse cum roboribus, sex millibus peditum, mille equitibus [2] in Picenum versus movit. Quæ Romæ, quam invaserat ingens terror, judicata sunt variis sermonibus Neronem vituperantium, quod ut castra ita urbem nudam et inermem Hannibali tradidisset, gloriam Hasdrubalis extollentium, consuli objicientium ignominiam in Hispania nuper acceptam. Nero in itinere milites paucis cohortatus et summo gaudio benignitateque omnium circa incolarum acceptus, nihil tamen moratus, agmine quam citatissimo, in quo exercitum explere potuerat supplemento ad signa ejus se applicantium cum veteranorum tum aliorum, ad castra pervenit collegæ, quæ habuit hic ad Senam, Hasdrubali oppositus. Hæc est urbs sita in ora maritima haud procul a flumine Metauro, et nunc hujus, nunc Senæ nomen pugnæ ei celeberrimæ inditum est. Cum Nero summa providentia cavisset, ut ne animadverteretur ab hoste adventus suus, et in castra Livii per noctem cum militibus acceptus

[1] Liv. XXVII, 40—42.

[2] Liv. XXVII, 43; Front. Strateg. I, 1, 9 ei decem millia militum fuisse tradidit.

esset. Hasdrubal tamen suspicatus utrumque consulem adesse; metuens, ne frater cladem accepisset, suas litteras interceptas credens, retro cessit hostibus, qui postquam Claudius summa vi eos hortatus est, ne tempus tererent, in aciem processerant, et ad flumen se recepit. Ibi reliqua nocte ducibus perfidis amissis vadum Metauri frustra quærens huc et illuc erravit, dum consules cum L. Porcio Licino prætore, qui castra castris Livii adjunxerat et omnibus interfuerat consiliis imperatorum, eum consecuti sunt. Tunc pugna atrox oritur. Nero in dextro Romanorum cornu Gallis, qui Poenum secuti sunt, oppositus, cum efficere non potest, ut copias colle adverso, ubi constiterunt illi, subducat, et collegam ab Hasdrubale veteranisque ejus Hispanis et Liguribus pæne oppressum videt, partem militum terga suorum, mediam aciem, cui Licinus et sinistrum cornu, cui præest Salinator ipse, circumducit ac dextrum cornu Carthageniensium a latere cædit. Tunc hostes fusi fugatique magna ex parte trucidantur. Hasdrubal se proelio devictum videns in mediam aciem Romanorum irruit, cum vitæ suæ ipsius et patris ac fratris laudibus mortis gloriam adæquat. Ea fere apud Livium[1] sunt et eadem habet Polybius[2] pugnam describens Hasdrubalemque laudans, sed in numero cæsorum reddendo longe dissentiunt. Nam ille narrat quinquaginta sex millia Poenorum, Romanorum octo ferme millia cecidisse, cum hic detrimentum hostium non amplius decem millia militum, consulum ad duo millia fuisse tradat[3]. Addit Græcus scriptor Gallos non minus vino quam somno graves a Romanis trucidatos esse et aliis in rebus inter se discrepant auctores, quæ tamen minoris momenti sunt. Nobilissimi illius proelii sæpius mentionem fecerunt alii[4], sed nihil

[1] XXVII, 43—49.

[2] XI, 1, sq.

[3] Cfr. Ihne R. G. II, p. 321 cum. not. 353.

[4] Zon. IX, 9; Flor. II, 6; Eutr. III, 18, qui erravit Appium nominans Claudium; App. Hann. VII, 52, cujus in narratione numerum peditum, quibuscum Hasdrubal in Italiam iter fecit ad quadraginta octo millia, equitum octo millia, elephantorum quindecim traditum invenimus;

protulerunt, quod ad reddendum dignum sit. Nuntius hujus clarissimæ partæ victoriæ in urbem allatus incredibili gaudio omnes affecit, et eo majore lætitia exultabant, quo intolerabilior antea metus fuerat. Claudius ubi depugnatum est, statim ad stativa sua tetendit, quo ut pervenit, caput Hasdrubalis abscisum in castra Hannibalis immitti jussit. Triumphus utrique consulum decretus, Nero autem, cujus exercitus ab Hannibale discedere non posset, urbem equo vectus introiit, sed et militum et Quiritium consensu laudes summæ et gloria victoriæ illi attributæ sunt [1]. Censores anno
quingentesimo quinquagesimo Gaius et Marcus in vetus 204
odium exarserunt [2] vanas inter se jactantes minas, dum tribunus pl. Cn. Bæbius utrique diem dixit severitatis nimiæ arguens. Prohibuere patres judicium, "ne postea obnoxia populari auræ censura esset". C. Claudius Nero, qui ad
Ptolemæum Aegypti regem legatus anno quingentesimo 201
quinquagesimo tertio missus est, idem fuisse videtur ac censorius ille [3].

De rebus gestis Neronis, antequam consulatum petivit, parum scimus, neque fieri potest, ut certe judicemus, qua ratione laudes illas Livii meritus sit [4], neque præter verba hujus [5] quidquam est, ex quo appareat ingenium immoderatum et temerarium in Gaio fuisse. Quæ ut ita fuerint, quam maxime mirum est huic collegam datum esse M. Livium, cujus mores mihi quidem non ii fuisse videntur, qui quemquam adducere possent, ut sana mente uteretur.

Oros. IV, 18, ubi clades Hasdrubalis etiam exaggerata est; Aur. Vict. De vir. ill. XLVIII; Val. Max. VII, 4, 4; Front. Strateg. III, 8; Sil. Ital. Pun. XV, vv. 550 sqq.

[1] Liv. XXVIII, 9; Val. Max. IV, 1, 9; Aur. Vict. De vir. ill. XLVIII, qui quidem erravit Claudium ovantem urbem introiisse dicens, id, quod cum aliorum, tum Mommsenii judicio (C I. L. I p. 624) repugnat.

[2] Liv. XXIX, 37; Val. Max. II, 8, 6, ubi Livium ad verbum fere secutus est, cfr. VII, 2, 6; Dio Cass. frgm. 56, 74 (Melber); Aur. Vict. De vir. ill. L.

[3] Liv. XXXI, 2 Cfr. Weissenb.

[4] XXVII, 34, 1. Cfr. Ihne R. G. II p. 316.

[5] Ibid. 3. Cfr. Momms R. G. I p. 631.

Nam omni in Salinatoris memoria satis exstat, hunc non solum morosum, iracundum, difficilem fuisse, sed etiam eum, qui per multos annos odium et invidiam secum aleret. Num immerito accusatus sit, dijudicare non possumus, quamquam non minus ideo, quod omnes tribus, excepta Mæcia [1], eum condemnaverunt, quam teste Frontino [2] apparet, non tam perspicuam fuisse innocentiam ejus. Utcumque hæc sunt, satis constat, non per Livium stetisse, quin spes ultima patriæ servandæ Neroni præcideretur, nam censere [3] differendum esse tempus pugnæ, cum Nero advenisset, insipientis erat. Quid? Si unius diei spatio dato evasisset Hasdrubal, vel Hannibal sensisset consulem abesse et castris motis terga exercituum collegarum cecidisset, quid tunc de republica futurum fuit? Quanti interfuerit Romæ summa ope obstare, ne in urbem simul contenderent Hasdrubal et Hannibal, ex eo facillime apparet, quod hic, quem ejusmodi rerum vel peritissimum omnium ætatum fuisse virum affirmare forsitan non dubitet quisquam, per tot annos precibus omnibus obtestatus erat atque obsecraverat, ut domo et ex Hispania sibi cum fratre mitteretur subsidium. Nec post pugnam Cannensem, nec per discrimina tot bellorum, nec denique umquam majore in periculo quam tunc versata est respublica [4], nam ut Galli urbem deleverunt, ita avaritia, terrore, animorum levitate adducti sunt, ut ex Latio decederent, sed non dubium est, quin si ambo Hamilcaris filii infestis signis in moenia illati essent hostium, quorum odio acerbissimo per totius vitæ spatium flagrabat uterque, futurum fuerit, ut omne nomen Romanum tam exstingueretur, quam postea Carthago excisa est. Quæ ita esse solamque viam salutis in summa celeritate et audacia positam esse Neronem intellexisse satis constat nec minore vi et fortitudine

---

[1] Liv. XXIX, 37, 13.

[2] Strateg. IV, 1, 45. Cfr. Liv. XXII, 35, 3, ubi L. Aemilius, collega Livii, damnatione “prope ambustus“ evasisse dicitur.

[3] Liv. XXVII, 46, 7.

[4] Διόπερ ὡς οὐδέποτε μᾶλλον ὀρθὴ καὶ περίφοβος ἡ τῶν Ῥωμαίων πόλις ἐγεγόνει, καραδοκοῦσα τὸ συμβησόμενον. Pol. XI, 1.

usum esse quam prudentia. Quibus ex rebus colligi potest in eo artes imperatorias fuisse vel summas et dignissimas, quæ cum meritis Romanorum cujuslibet, Marcellorum, Africanorum, Paullorum, conferantur[1], neque ambigitur, quin huic Claudio a civitate agendæ sint gratiæ immortales[2].

Altero nepote Cæci Publio (45) natus esse videtur

47. Ti. Claudius P. F. Ti. N. Nero,

qui prætor creatus est anno a. u. c. quingentesimo quinqua- 204
gesimo[3], quo ei a Cn. Octavio tradita[4] cibaria et vestimenta exercitui præbita sunt[5]. Consul factus est[6] anno quingentesimo quinquagesimo secundo, quo ei evenit Africa, ubi P. 202
Scipio imperio Claudii pari res gerere jussus est[7]. Quinquaginta navium hic præerat classi, quam in provinciam trajiceret[8], sed segniter comparasse et deduxisse eam, nec, cum atroces coortæ tempestates vexarent, penetrasse dicitur[9] ultra Caralim.

Frater hujus forsitan fuerit

48. Ap. Claudius Nero,

qui prætor factus anno quingentesimo undesexagesimo pro- 195
vinciam sortitus est Hispaniam ulteriorem et concedente senatu dilectum habuit duorum millium peditum, equitum ducentorum[10] ac copias tradidit et M. Helvio prætori anni

[1] Cfr. Ihne R. G. II pp. 285, 318 sq. cum. not. 348.

[2] Num ad hunc spectaret fabella illa, quæ est apud Ciceronem De or. II, 61, 248, dijudicare non potui.

[3] Liv. XXIX, 11.

[4] „ „ 13.

[5] „ „ 36.

[6] Fasti cap. Cfr. Liv. XXX, 26.

[7] Liv. XXX, 27.

[8] ibidem.

[9] Liv. XXX, 38.

[10] „ XXXIII, 42, 43.

197 quingentesimi quinquagesimi septimi[1] et P. Manlio collegæ suo[2] legatusque "ad res Asiæ disceptandas componendasque"[3] sex post annos a senatu missus esse videtur.

Post hos in rerum monumentis tres Ti. Nerones prætores nominatos invenimus, qui, cum eodem prænomine nemo umquam filios Romæ appellaret[4], fratres fuisse non possunt. Horum filius Gai (46) consulis anni quingentesimi
207 quadragesimi septimi fuisse videtur

49. Ti. Claudius Nero,

181 cui magistratum illum anno quingentesimo septuagesimo tertio adepto Sicilia sorte evenit provincia[5].

Alter ejusdem nominis

50. Ti. Claudius Nero,

quem verisimile est fuisse filium prætoris (47) anni quin-
204 gentesimi quinquagesimi, prætor inter cives et peregrinos
178 erat anno quingentesimo septuagesimo sexto[6], sed ut quarta legio Latinique nominis socium quinque millia convenirent Pisas, edicere eamque provinciam tutari jussus eo paludatus profectus est[7] et imperium obtinuit insequenti anno proconsulare atque tumultuantibus Liguribus litteras ad senatum misit, quibus adducti patres imperaverunt, ut in provinciam consul[8] alter moveret. Hoc triumphante imperium Neroni prorogatum est, dum in provinciam venisset consul[9]. Legatus ad res in Asia insulisque explorandas cum

---

[1] Liv. XXXIV, 10; Cfr. XXXII, 27, Momms. C. I. L. I, p. 463.
[2] „ „ 17.
[3] „ XXXVII, 55.
[4] Cfr. Momms. R. F. I, p. 25, n. 37.
[5] Liv. XL, 18.
[6] „ „ 59, 5 cum n. Weissenb., ubi videndum de prænomine Claudii.
[7] „ „ 5.
[8] C. Claudius Pulcher. Vide pag. 58.
[9] Liv. XLI, 12, 14.

anno quingentesimo octogesimo secundo[1] tum tertio[2] con- 172 171
stitutus est Tiberius.

Tertius erat

51. Ti. Claudius Nero,

qui filius Ap. Neronis (48) fuisse videtur et prætor creatus
anno quingentesimo octogesimo septimo Siciliam sortitus est 167
provinciam[3].

Post hos neminem ex familia prius commemoratum invenio, quam in actione contra Verrem secunda a Cicerone nominatur

52. C. Claudius Nero,

qui prætor Asiamque sortitus provinciam anno sexcentesimo
septuagesimo quarto Philodamum quendam et filium ejus 80
Lampsaci condemnasse dicitur, qui in pudicitia defendenda filiæ sororisque contra Verrem audaciæque satellites hujus turpissimos Cornelium lictorem occidissent[4].

Fertur

53. Ti. Claudius Nero,

qui IIIvir a. a. a. f. f. inter annos sexcentesimum sexage-
simum septimum et septuagesimum Ti f. Ap. n. erat, vide- 87—84
licet Tiberio (51) natus[5], anno a. u. c. sexcentesimo nona-
gesimo primo censuisse Catilinæ conjuratos in vinculis ser- 63
vandos esse, dum causa perquisita esset[6].

Fieri potest, ut hoc natus sit

54. Ti. Claudius Nero,

quem anno septingentesimo Gabinum accusavisse scribit Ci- 54

[1] Liv. XLII, 19.

[2] „ „ 45.

[3] „ XLV, 16.

[4] I, 19, 50; 28, 71—30, 76, alibi.

[5] Babelon, descr. des monn. &c. I, p. 348, Cfr. Willems Le sén. d. l. rép. r. I, p. 458.

[6] App. b. c. II, 5; Cfr. Sallust. Cat. 50; Ihne R. G. VI, p. 272 cum n. 1.

cero[1] et adolescentem nobilem, ingeniosum, abstinentem
51 anno septingentesimo tertio summis laudibus commendat P.
Silio proprætori sua causa orans, ut hic clientibus illius
Nysæis amicisque et rebus omnibus quam maxime consulat[2].
Tulliolam suam nubere cupivit Cicero Neroni, qui secum
egisse ipse tradidit, sed cum ex Cilicia hac de re anno in-
sequenti certiorem fecisset Terentiam, sponsa jam Dola-
bella erat filia[3]. Bello Alexandrino C. Julius Cæsar clas-
sem comparavit, cui præfecit Neronem, qui cum Euphranore
ad Canopum proelium commisit navale, cujus eventus qualis
fuerit, non satis apparet. Nam ut Claudium vicisse narrat
Dio Cassius[4], ita auctor Belli Alexandrini[5] nihil ejusmodi
tradit, nisi ait Euphranorem solum "cum sua victrice tri-
remi" periisse. Suetonius[6] Tiberium tunc quæstorem fuisse
Cæsari dicit plurimumque ad victoriam contulisse. Pontifex
factus est ille et colonias in Galliam deduxit[7] Post dictato-
rem interemptum præmia tribuenda esse sicariis censuit[8].
41 Prætor creatus anno septingentesimo decimo tertio[9] L. Anto-
nium secutus est Perusiam, unde elapsus bella contra Octa-
vianum primo in Campania, tum Præneste, postremo Neapoli,
servis etiam convocatis armatisque, ciere conatus, cum hæc
ei non successa essent, in Siciliam comitantibus uxore Livia
et Tiberio filio perpusillo confugit ad Sex. Pompejum, a
quo superbe acceptus est, quare ad M. Antonium in Achai-
am trajecit. Cum hoc pace facta Romam revertit, ubi Oc-
taviano amore Liviæ incenso hanc tradidit in matrimonium,
cum tunc gravida esset. Brevi post mortuus est duo relin-
quens filios Tiberium et Drusum Cæsares[10].

---

[1] Ad. Qv. fratr. III. 1, 15; 2, 1.
[2] Ad fam. XIII, 64.
[3] Ad Att. VI, 6, 1.
[4] XLII, 40.
[5] 25.
[6] Tib. 4.
[7] ibid.
[8] ibid. Cfr. Ihne R. G. VII, p. 251.
[9] ibid. Cfr. „ „ „ VIII, p. 20 c. n. 3.
[10] Suet. ibid. et 6. Dio Cass. XLVIII, 15; 44. Vell. Pat. II, 75, 77. Tac. ann. V, 1 Cfr. Ihne R. G. VIII, pp. 160, 228 sq.

Intuenti monumenta rerum romanarum semper, ut vidimus, occurrit memoria Claudiorum, quippe qui in quovis gerendo munere et officio rei publicæ administrandæ sæpissime eminuerint, rarius vituperandi, aliquoties quam maxime laudandi, semper fortes ac strenui fuerint, neque ullam, opinor, facile invenias gentem aliam, quæ inde ab initio liberæ civitatis usque ad tempora Cæsarum tam frequens et assidua omnibus interfuerit laudibus populi Romani ac pro patria dimicans ad ejus gloriam augendam exemplis majorum incitata tali studio enisa sit. Quæ cum ita sint, mira quidem nobis videntur asperrima illa judicia, quæ de gente apud auctores invenimus, quorum verba, ut jam nonnulla retuli, ita hoc loco commemorare volo quædam. A Livio [1] vocatur "ea familia, cui velut fato lis cum tribunis ac plebe erat" "imperiosissima et superbissima" [2], "insitam pertinaciam" ejus memorat [3], quasi sententiam illam comprehendens P. Sempronium inducit in Cæcum invectum de vi et injuria ac nomine infesto Quiritibus verba facientem [4]. Tot annis exactis hanc eandem naturam familiæ esse scriptor exponit de "vi Claudiana" loquens [5] in memoria reddenda fratrum Ap. et P. Pulchrorum [6]. E locis Dionysii Halicarnassensis ad hæc spectantibus hic duorum commonefacere volui ad C. Claudium fratrem decemviri illius pertinentium, quibus scriptor non minus quam Livius in superbiam insitam odiumque in plebem Claudiorum invehitur, nam id homini esse a majoribus hereditate quadam acceptum dicit et in libri decimi capite nono et in undecimi quinquagesimo quinto. Quibus auctoribus nixi nostræ ætatis scriptores sibi persuaserunt arrogantiam, insolentiam, cupidinem plebis vexandæ in Claudiis fuisse, quorum superbia in proverbium fere venit, nec est fere quisquam vel levissime memoriam gentis attingens,

[1] IX, 29.
[2] ibid. 34.
[3] ibid. 29.
[4] ibid. 34.
[5] XXXIX, 32.
[6] 18 & 19.

quin ferocitatis ejus et contumaciæ mentionem faciat[1]. Quorum sententiam si sequeremur, credendum fuit Claudios semper spiritu patricio superciliοque quodam adductos plebem summa asperitate insectatos esse neque huic in republica vel minimum tribui sivisse. Sin autem memoriam rerum gestarum diligentius inspexerimus uniuscujusque, qui in gente illa excellebat, reperiemus tantum abfuisse, ut Claudii quodammodo commodis resisterent plebis, ut contra utilitatibus hujus semper parerent. Rumores scriptorum de crudelitate illa Ap. Claudii Sabini (1) filiique ejus (2) consulum adversus nexos nihi quidem non tanti faciendi videntur esse, neque enim dubito, quin, licet nimia severitate usi sint in redigendis bonis creditores alii, futurum fuerit, ut alii magna ex parte pecunia frandarentur a debitoribus, si illos in causa et jure destituisset uterque prætor, nisi vero arbitraris omnes, qui æs alienum fecissent, id persolvere voluisse neque se ætate primæ. secessionis plebei rogationisque Publiliæ quam facillime tumultuantes eo levatos maluisse. Quod tradunt auctores hos Claudios vehementissime aliis in rebus plebi adversatos esse, de illis testimoniis in tanta rerum vetustate judicare non possumus, effigiem autem veram decemviri ingenii morumque a scriptoribus non expressam esse jam ostendere conatus sum[2], neque e verbis alicujus compertum habemus, qualis re vera fuerit ille, sed satis constat plebem opera ejus auctoris duodecim tabulis datis maximas quasi prædas fecisse et patribus eripuisse

[1] Cfr. v. g. Bæhrens, Catulli Veronensis Liber II p. 558: "intelligimus oppositionem gentis: insito Claudiorum genti fastu Clodiam despexisse Catulli familiam provincialem".

Ellis, A commentary on Catullus p. 361: "The family pride of the gens Claudia".

Lange, R. A. I p. 631: "Appius Claudius war es, der, ganz im Geiste der herrschsüchtigen und adelsstolzen sabinischen Gens Claudia, den Gedanken fasste unter den Form des Decemvirats ein oligarchisches Regiment zu begründen."

W. Ihne, Zur Ehrenrettung des Kaisers Tiberius pp. 1 sq.

H. R. Huldt. Om Tiberius Cæsar Nero, p. 11. &c. &c.

[2] Vide pagg. 23 sqq. Cfr. Momms. R. F. I pp. 295—300.

victoriam, quæ toti ordini honorum et rei publicæ partis
majoris aditum patefaceret. Apparet igitur fieri non potu-
isse, ut Appius cupiditate libertatis opprimendæ quadam
flagrasset, et primus hic de gente occurrit, cujus alia aucto-
ribus famam et vulgi rumores propagantibus aurem præ-
benti exsistit memoria, alia cognoscenti consilia viri et facta
atque res gestas. Fratrem et filios decemviri hoc loco
omittere possum, quippe quorum de moribus et vita parum
cognoverimus, neque autem minus conviciorum in hos faciunt
scriptores quam in Appium P. F. Ap. N. trib. mil. c. p.
anni trecentesimi quinquagesimi primi (6) qui tamen sua a 403
Livio[1] tradita sententia ex præda belli stipendium exsol-
vendi, ut onere tributi plebs levaretur neu rapacissimus
quisque immissus urbanorum merita militum præmia diri-
peret, mihi quidem optime utilitati veræ omnium consuluisse
videtur, quamquam verisimillimum est hoc ei crimini datum
esse a tribunis et otiosa multitudine. Quantum discreparent
cum verbis auctorum facta Ap. Claudii Cæci, cum censor
libertinos in tribus describere et eorum filios in senatum
legere vellet ac postea Cn. Flavio subveniret dies fastos
publicanti jam demonstrare conatus sum[2], et de rebus gestis
ejus satis constat fieri non potuisse, ut condiciones infimæ
plebis et miserrimi cujusque sublevaret et idem cives suos
patrum causa vexaret. Ex posteris Cæci perpauci solum
claruerunt Centhonum neque est quisquam inter hos, cujus
in rerum monumentis majore gloria floreat nomen, quam-
obrem illos viros hoc loco transire possum, cum tamen me-
moria Pulchrorum paulo diligentius tractanda sit. Licet
parum sciamus de Publio cos. anni quingentesimi quinti 249
(15) in quo non tantam superbiam fuisse ideo constat,
quod M. Gliciam infimæ condicionis hominem dixit dicta-
torem, et filiis nepotibusque ejus aliis, res gestas tamen
C. Claudii censoris anni quingentesimi octogesimi quinti 169
(20) latius expendi oportebit, quid sibi voluerint. Per
bella ille superbum admodum et crudelem — quod ta-

[1] Vide pag. 27.

[2] „ „ 37 sq. Cfr. Momms. R. F. I pp. 301—314.

men magis ex temporum consuetudine, desperatione oppugnatorum. ira victorum, quam sævitia quadam animi consulis ortum esse opinor — sese ostendit, neque autem dubium est, quin censor severus utilitati veræ pætriæ consuluerit. Hic magistratus ideo insignis est, quod eum quasi portendisse dicere possumus majores casus et contentiones ordinum condicionum levandarum infimæ plebis causa habitas ad imminuendam potentiam ditissimi cujusque contra leges ursurpatam. Mox enim cum equitibus, qui publicani plurimum lucri fecissent neque paterentur se ejusmodi negotiis privari nummorum plenissimis, certamina habuerunt censores, neque contigit adversariis eorum, ut pessimis artibus usi, conclamantes, minitantes, Claudium deterrerent, quominus in sententia perseveraret, dum gratia et auctoritate Ti Sempronii Gracchi collegæ ægre judicio ereptus est. Hæc immoderata cupiditas senatus equestrisque ordinis quæstus magnos et uberes omnibus rationibus constituendi quasi colorat rerum per ea tempora gestarum monumenta neque ambigitur, quin avaritia illa, qua commoti principes civitatis potestate abutebantur turpissime, magna ex parte factum sit, ut libera res publica corrueret. In censu perficiendo libertinos defendit Claudius [1]
libero quodam animo, qui in altero quoque ejus filio erat
143 vestigiis ingresso patriis. Hic consul anni sexcentesimi
136 undecimi, censor duodevicesimi (22) socer Ti. Gracchi vel
princeps erat eorum, qui se ad partes plebis applicavissent, et summa ope genero auxiliabatur, neque eo secius superbiam in eo et odium in plebem exprobrant scriptores [2]. Quam morum Pulchri diversitatem Lange [3] ex eo declarare conatur, quod in Claudiis fuerint mobilitas et levitas, quibus

[1] Vide pag. 60. Cfr. Lange R. A. II p. 289.

[2] Dio Cass. fragm. 74: πρὸς τε τὸ γένος ὠγκωμένος.

Plut. Aem. Paul. 38: Ὃ καὶ χρόνοις ὕστερον Ἄππιος ὠνείδισεν Ἀφρικανῷ Σκηπίωνι. Μέγιστοι γὰρ ὄντες ἐν τῇ πόλει τότε τὴν τιμητικὴν ἀρχὴν μετήεσαν, ὁ μὲν τὴν βουλὴν ἔχων καὶ τοὺς ἀρίστους περὶ αὑτόν· αὕτη γὰρ Ἀππίοις ἡ πολιτεία πάτριος.

[3] R. A. II p. 346. Cfr. p. 347, III p. 19.

commoti nunc has nunc illas partes amplecterentur, id, quod
omnibus fere factis, quæ eorum hominum cognovimus, quam
maxime repugnat, quare mihi persuasi hujus rei auctoribus
Dioni Cassio Plutarchoque fidem esse derogandam et Ap.
Claudium re vera inde ab incunabulis fuisse popularem[1].
De animo civili mentionem fecit Dio Cassius[2] Ap. Claudii
cos. anni septingentesimi fratris P. Clodii, qui ex om- 54
nibus, qui umquam fuere, maxime plebi infiniæ consulebat,
qua in re exempla secutus est majorum, semper libero
animo egentissimum quemque defendentium et extollentium.
De moribus Neronum parum comperimus, clarissimi autem
horum C. Claudii consulis anni quingentesimi quadragesimi 702
septimi modestiam meritis laudibus summæ partæ victoriæ col-
legæ gratia cedentis exposuit Valerius Maximus[3]. Quæ cum
ita sint, infesta illa judicia de insolentia arrogantiaque Clau-
diorum data somnia, meræ nugæ, ficta, mendacia tractanda
et referenda sunt ad verba auctorum, qui aut nesciverint
alio loco, quæ alio scripsissent[4] aut rhetorica loquacitate
adducti sint, ut res, mores, ingenia virorum talia depinge-
rent, qualia nec hominibus nec temporibus consentanea esse
possent, Sabinos illos priscos more Ciceroniano locutos in-
ducentes, aut verba priorum non expensa cum inscientia
rerum reddiderint. Fuere etiam nostra ætatæ, qui veteri
illi narrationi rerum Claudiorum gestarum acerrime adver-
sarentur[5], nec est dubium, quin gens ea semper plebis
causa laborata sit, id, quod ostendit in illa fuisse acumen rei

---

[1] Cic. de rep. I, 19,31 Cfr. Momms. R. G. II p. 85.

[2] XXXIX, 60: τοῖς τε πολλοῖς χαρίσασθαί τι ὑπὸ δημαγωγίας ἐθελήσας.

[3] IV, 1, 9.

[4] Vide memoriam decemviri a Livio in libro tertio redditam.

[5] Mommsen, die patricischen Claudier R. G. I, pp. 287—318.
Eduardus Luebbert, De gentis Claudiæ commentariis domesticis pp. 3, 6—8.
K. W. Nitzsch, Die Römische Annalistik, pp. 229—232. 241 sq. 340—342.
Ihne, R. G. I, pp. 163—166, 364, 366—370, 372 sq., 440.
A. Stahr, Tiberius, pp. 1 sqq.

publicæ administrandæ casuumque ejus providendorum multo majus quam in reliquis hominibus ejusdem ordinis, qui per ætatem liberæ civitatis summæ rerum præerant. Bellicam autem non tantam adepti sunt Claudii gloriam, quanta exspectanda erat in multitudine virorum clarissimorum, nam prisci illi Sabini, excepto Caudice, qui quidem feliciter adversus Poenos res gessit, sed brevi e rerum mommentis abiit, in militia non eminebant et inter Pulchros Ap. Claudium cos. anni quingentisimi quadragesimi secundi (16) cum Scipione post cladem Cannensem militum consensu ducem optimum designatum solum invenimus, in quo artes haud mediocres fuisse imperatoriæ videntur, quas tamen capta Capua immatura morte exstincto expromendi occasio ei non data est, nec filius ejus Gajus (20) inter omnes arma barbaris inferens ullo modo excellebat. Per tot sæcula igitur e gente solus imperator summo ingenio præditus exstitit C. Claudius Nero cos. anni quingentesimi quadragesimi septimi quem nemo laudibus meritis virtute et consilio servatæ patriæ antecedit. In pacis autem omnibus artibus præstantissimi fuerunt Claudii, id, quod e memoria Cæci apparet, litterisque deditos fuisse eorum multos cognovimus, et eloquentiæ sæpius mentionem fecit Cicero[1]. Gentis despicientia superstitionum et cærimoniarum propria fuisse videtur et quemadmodum polluisse fertur Cæcus sacra Herculis et impietate quadam commotus jus in æde Jovis vescendi tibicinibus ademisse[2], ita P. Claudio, C. Claudio (15, 20) auguri huic religionem spretam objiciunt, nec est quisquam, quem inter Claudios religiosum fuisse compererimus nisi Ap. Claudium cos. anni septingentesimi (30). Quibus ex rebus exemplum petere possumus insigne pravæ severitatis quacum nostræ quoque ætatis scriptores eos homines judicant, in Publium enim asperrimis verbis invecti sunt auctores[3] ideo, quod pullorum rei militaris scientiam contemnens in mare mergi jubens eos auspicia neglexit, Appium autem vehe-

[1] Brut. 14, 55; 28, 108; 45, 166.

[2] Liv. IX, 30.

[3] P. R. E., Drumann.

mentissime vituperant ritus omnes summa cum diligentia colentem. Vidimus Claudios inde a decemviro usque ad P. Clodium plebi semper favisse et superbiam illam et vim Claudianam nihil nisi verba et ineptias esse, nec, opinor, credendum est[1] hos viros infimo cuique consuluisse invidentia quadam adducti plebejorum potentissimorum honores appetentium, cum enim constet cum eis, qui horum partium plurimum omnibus antecellerent, Semproniis Gracchis conjunctissimos fuisse et C. et Ap. Pulchros (20, 22), et ostendere possimus, insolentiam et arrogantiam, quas in Tiberio quoque Cæsare acerrime exprobrant, falsas et ab obtrectatoribus[2] ementitas esse. Constantia Claudiorum, fortitudo, firmitas, qua nixi numquam famæ cesserunt neque minis, clamoribus, tumultu deterriti sunt, quominus in sententia perseverarent, liber animus, maxima facultas in republica administranda futuros providendi casus, conscientia periculorum, quæ potentia nimia opulentissimi et nobilissimi cujusque imminebant civitati, amor patriæ, quam in discrimine versatam numquam deseruerunt, aliquoties servaverunt, omnia denique fateri cogunt merito gentem illam in summum locum ascendisse, cum privignus Augusti rerum Nero potitus est.

[1] Cfr. Luebbert, p. 7.

[2] Inter quos Suetonius (Tib. 1, 2) totam illam memoriam Claudiorum depravatam brevi comprehendit.

Stemmata gentis Claudiæ

per spatium liberæ civitatis.

Attus Clausus Sabinus,
qui forsitan ante tempora L. Tarquinii Prisci Romam immigraverit.

M. Claudius Sabinus,
quo ex testimonio inscriptionum natus est.

1. Ap. Claudius Sabinus.
Cos. $\frac{259}{495}$.

2. Ap. Claudius Ap. F. M. N. Crassus Inrigillensis Sabinus.
Cos. $\frac{283}{471}$; Cos. II $\frac{303}{451}$; Decemvir $\frac{303}{451}$; $\frac{304}{350}$.

3. C. Claudius Ap. F. M. N. Inrigillensis Sabinus.
Cos. $\frac{294}{460}$.

4. Ap. Claudius Crassus.
Trib. mil. c. p. $\frac{330}{424}$.

5. Claudius Crassus.

6. Ap. Claudius P. F. Ap. N. Crassus Inrigillensis.
Trib. mil. c. p. $\frac{351}{403}$; Dict. $\frac{392}{362}$; Cos. $\frac{405}{349}$.

7. C. Claudius Ap. F. P. N. Crassus Inrigillensis.
Dict. dictus $\frac{417}{337}$.

8. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Cæcus.
Cens. $\frac{442}{312}$; Cos. $\frac{447}{307}$; Interr. $\frac{454}{299}$; Cos. II $\frac{458}{296}$; Præt. $\frac{459}{295}$; Dict. Aed. Cur.

9. Ap. Claudius Caudex.
Cos. $\frac{490}{264}$.

10. Ap. Claudius Ap. F. C. N. Rufus.
Cos. $\frac{486}{268}$.

15. P. Claudius Pulcher.
Cos. $\frac{505}{249}$.

12. C. Claudius Centho.
Cos. $\frac{514}{240}$; Interr. $\frac{537}{217}$; Dict. $\frac{541}{213}$.

43. Ti. Claudius Nero.

11. Claudia Claudiæ IV.

16. Ap. Claudius Pulcher.
Aed. cur. Præt. $\frac{539}{215}$; Cos. $\frac{542}{212}$.

17. Claudia Quinta.

13. C. Claudius Centho.

14. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Centho.

44. Ti. Claudius Nero.

45. P. Claudius Nero.

18. Ap. Claudius Ap. F. P. N. Pulcher.
Præt. $\frac{566}{188}$; Cos. $\frac{569}{185}$.

19. P. Claudius Ap. F. P. N. Pulcher.
Aed. cur. & prætor $\frac{565}{189}$; Cos. $\frac{570}{184}$.

20. C. Claudius Ap. F. P. N. Pulcher.
Præt. suff. $\frac{574}{180}$; Cos. $\frac{577}{177}$; Cens. $\frac{585}{169}$.

21. Claudia.
Pacuvio Calavio nupta.

46. C. Claudius Ti. F. Ti. N. Nero.
Prætor $\frac{542}{212}$; Cos. $\frac{547}{207}$; Cens. $\frac{550}{204}$.

47. Ti. Claudius P. F. Ti. N. Nero.
Præt. $\frac{550}{204}$; Cos. $\frac{552}{202}$.

48. Ap. Claudius Nero.
Præt. $\frac{559}{195}$.

22. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Pulcher.
Cos. $\frac{611}{143}$; Cens. $\frac{618}{136}$.

27. C. Claudius C. F. Ap. N. Pulcher.
Cos. $\frac{624}{130}$.

49. Ti. Claudius Nero.
Præt. $\frac{573}{181}$.

50. Ti. Claudius Nero.
Præt. $\frac{576}{178}$.

51. Ti. Claudius Nero.
Præt. $\frac{587}{167}$.

23. C. Claudius Ap. F. C. N. Pulcher.
Aed. cur. $\frac{655}{99}$; Præt. $\frac{659}{95}$; Cos. $\frac{662}{92}$.

24. Ap. Claudius Ap. F. C. N. Pulcher.
Aed. cur. Præt. $\frac{665}{89}$; Cos. $\frac{675}{79}$.

25. Claudia.
Virgo vestalis.

26. Claudia.
Ti. Graccho nupta.

28. Ap. Claudius Pulcher.
Trib. mil. $\frac{667}{87}$.

52. C. Claudius Nero.
Præt. $\frac{674}{80}$.

53. Ti. Claudius Ti. F. Ap. N. Nero.

30. Ap. Claudius Pulcher.
Præt. $\frac{697}{57}$; Cos. $\frac{700}{54}$; Cens. $\frac{700}{50}$.

31. C. Claudius Pulcher.
Præt. $\frac{698}{56}$.

32. P. Clodius Pulcher.
Quæst. $\frac{693}{61}$; Trib. pl. $\frac{696}{58}$; Aed. c. $\frac{698}{56}$.

33. Clodia
Q. Marcio Regi nupta.

34. Clodia.
Q. Metello Celeri nupta.

35. Clodia
L. Licinio Lucullo nupta.

29. (Ap.?) Claudius Pulcher, qui postea appellabatur M. Livius Drusus Claudianus.

36. Claudia.
Cn. Pompejo nupta.

37. Claudia.
M. Bruto nupta.

38. Ap. Claudius C. F. Ap. N. Pulcher.
Cos. $\frac{716}{38}$.

39. Ap. Claudius Pulcher.

40. Ap. Claudius Pulcher.

41. P. Clodius P. F. Ap. N. Ap. Pron. Pulcher.

42. Claudia.
Octaviani sponsa.

Livia.

54. Ti. Claudius Nero.
Præt. $\frac{413}{41}$.

Tiberius Cæsar.

Drusus Cæsar.

1.	pag.	8	28.	pag.	68
2.	»	15	29.	»	69
3.	»	18	30.	»	70
4.	»	26	31.	»	80
5.	»	»	32.	»	81
6.	»	27	33.	»	100
7.	»	28	34.	»	»
8.	»	»	35.	»	107
9.	»	40	36.	»	»
10.	»	44	37.	»	108
11.	»	45	38.	»	»
12.	»	46	39.	»	»
13.	»	47	40.	»	109
14.	»	»	41.	»	»
15.	»	50	42.	»	»
16.	»	52	43.	»	110
17.	»	53	44.	»	»
18.	»	55	45.	»	111
19.	»	57	46.	»	»
20.	»	»	47.	»	117
21.	»	61	48.	»	»
22.	»	»	49.	»	118
23.	»	64	50.	»	»
24.	»	66	51.	»	119
25.	»	67	52.	»	»
26.	»	»	53.	»	»
27.	»	»	54.	»	»